vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Et Jerem. 5. *Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis facientem judicium, & quærentem fidem . . . Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt, & stulti, & ignorantes viam Domini, Judicium Dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula . . . Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?* Hinc David ajebat: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Quod oriculum præclaris Guigonis Carthusiani verbis in rem nostram illustrari potest: *O Apostolorum tempora infelicissima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias custodiebant, & hac nostra compendia nesciebant!* Denique Christus ait Matth. 8. *Intrate per angustam portam: Quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & restra via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam!* Et Matth. 11. *A diebus Jo. Baptistæ Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et cap. 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Tsal. 16. 4.

Prudentiæ regulis repugnat minus probabilis opinionis delictus in concursu probabilioris.

Ad secundum respondetur, Prudentiæ non esse, certis incerta præponere in negotio æteræ salutis, adeoque non esse prudentiæ minus probabilem opinionem sequi relicta probabiliore. Omne fane judicium falsum, ac æternæ veritati contrarium, imprudentia est; cum vera, Christianaque Prudentia nihil aliud sit, quam rectum de rebus agendis judicium, ex æternæ justitiæ luce derivatum. Jam vero quisquis falso, & æternæ legi contrario dogmati, qualibet probabili ratione permotus assentitur, tamen fallitur: Eaque judicii imprudentia ex alia morum imprudentia semper existit, minus diligenter quæsitæ veritatis, minus studiose expurgati cordis. Propterea imprudens est, qui ex varietate probabilium sententiarum, & Scriptorum super illis dissentione, una ex parte clarius, & probabilius quam ex alia affulgente veritate, vel in nullam dubitationem adducitur; vel dubitatione jactatur, minus probabilem amplectitur. Quis enim hunc non imprudentiæ modo, sed stuporis, & insaniæ non dampet, qui affirmantibus aliis aliquam escam veneno infectam, aliis negantibus, spreta probabilius id afferentium sententia, minus probabiliter negantium opinioni adhæreat, eamque escam, quasi sinceram, & innoxiam, securus sumat? Quid est enim aliud imprudentia fere in rebus humanis, quam minus probabilibus magis probabilia postponere; Si quis Dux Exercitus eo tempore prælium committat, quo se putat probabilius victum iri, quam victoreum futurum; Si negotiator iis conditionibus societatem contrahat, quas sibi videt probabilius fore damnosas, quam utiles; it non modo imprudentes habebuntur, sed in exemplum illustriæ ab omnibus proponentur. Quæ igitur ratione prudens in vita agenda videri potest, qui minus probabilem opinionem, faventem libertati, & cupiditati, probabiliori præponere non veretur, quæ favet legi?

REGULA XIV.

Extrinseca Probabilitas ex unius, vel plurium Scriptorum auctoritate petita, opinioni moralis securitatem conciliare non potest.

De probabilium opinionum usu.

Id ex eo constat, quod etiam nonnumquam necesse sit privati alicujus & Sanctis Patribus deferere Sententiam, cum Scripturæ Sacræ, aut Traditionis auctoritate falsa esse deprehenditur. Quanto potiori jure id de recentioribus Scriptorum aliorumdum est? Præstat hanc Regulam *S. Augustini* verbis exprimere, Ep. 81. alias 18. ad *S. Hieron.* data: *Solis eis scripturarum Libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam . . . Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt* Ep. 184. alias 111. ad *Fortunatianum*, c. 4. *Neque enim ouvamlibet disputationes, quam ex Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque refuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint quam veritas habet; divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, talet volo esse intellectores meorum.*

Laxiores, & indulgentiores directores minime eligendi.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Basilio*, Serm. De *Abdicatione Rerum*, cujus hæc sunt verba: *Contendis Adversarius noster, ut nobis persuadeat, ut alicui nos credamus, propria vitia simulata quadam lenitatis specie commendanti, ut hoc modo innumeris nos pravis libidinibus irretiat: Si ergo cum corpore tuo mitius agere volens, Magistrum tibi quæsieris tecum so advitia tua dimittentem, vel (ut verius dicam) tecum una in eandem pernicien corruentem, frustra mundanis rebus nuntium remisisti, qui eacum tibi ducem asciveris, cujus ductum secuto in foveam tibi sit procidendum.* Ecce *S. Basilio* esse, mollis ille Magister, cujus certe probabiles opiniones existimant, qui moralem illius doctrinam, & institutionem sequuntur, nihilominus ipsos in foveam, & in certam perniciem secum abripit, qualiscet probabilitatis specie deceptos.

Securitas a Directore data nihil prodest si in Dei Tribunali non sit recepta. De probabilium opinionum.

Item ex *S. Aug.* Serm. 40. alias 11. inter Hom. 50. *Fædum est, inquit, turpe est, nolo dicere malum, nolo dicere periculosum, nolo dicere exitiosum: Turpe est, ut vos fallam, si Deus me non fallit . . . . Quid volunt, ut ego promittam, quod ille non promittit: Ecce dat tibi securitatem Procurator: Quid tibi prodest, si pater familias non accepit? Procurator sum, servus sum: Vis dicam tibi, Vive quomodo vis, Dominus te non perdet? Securitatem tibi Procurator dedit: nihil valet securitas Procuratoris. Utinam Dominus tibi daret, ego te sollicitum facerem. Domini enim securitas valet, etiamsi nolim. Mea vero nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, Fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intente, & diligenter audiamus, & promissa fideliter expectemus?*

Unius, vel plurium Scriptorum, aut Doctorum opinipnem a peccato non liberare, nisi sit divinæ legi consentanea, confirmat *Felix III.* Pont. Maxim. Epist. 7. *Scias, inquit, quod se decipit ipse, qui fallit, nihilque per nostram facilitatem Tribunalis Excelsi judicio derogari, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt.*

Eiusdem Regulam confirmat *S. Th.* Quodlibeto 3. q. 4. art. 3. ubi ipsos, qui opinionem errantis Magistri, vel errantium Magistrorum sequuntur, in foveam erroris cadere docet. *Sed contra est, inquit, quod dicitur Matth.* 15. Si cœcus ducatum cœco præstet, ambo in foveam cadunt; *Sed quicumque errat, cœcus est in quantum errat: Ergo quicumque sequitur opinionem errantis Magistri, in foveam peccati cadit.* Tum in corpore Articuli: *Respondeo dicendum, Quod si diversæ sint opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, siquidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt: Tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit, ad Rom.* 14. Unusquisque in suo sensu abundet *In his vero, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat. Alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur: In rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus: Quin immo, ut Aug. dicit* Lib. 3. *De Doctrina Christiana*: Consulere debet quis Regulam Fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ Auctoritate percepit. *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiæ Auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.*

In his quæ pertinent ad fidem, aut bonos mores, nullus excusatur, si sequatur eroneam alia cujus Auctoris opinionem.

Denique Summus Pontifex *Innoc. XI.* anno Christi 1679. die 4. Martii, has Propositiones inter alias damnavit: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo probabilitatis finibus non excatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Propositiones damnatæ.

Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductui opinionis minus probabilis.

Episcopi etiam plerique Gallicani in Censuris Apologiæ Casuistarum, & Academiæ celebertimæ, Parisiensis præsertim, & Lovaniensis, has Propositiones conxerunt.

Clerus etiam Gallicanus anno 1700. de his propositionibus ita judicavit.

Omnem Probabilitatem, sive extrinsecam, sive intrinsecam, in conscientia satisfacere putamus, nec exemplis urgebimur: Ubique enim eodem omnino modo philosophamur.

Auctoritas unius proci, & doctis reddit opinionem probabilem.

Hæc Propositio, Sex decim ad probabilitatem requiruntur, *non est probabilis. Si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor. Si sufficiunt quatuor, sufficit unus.*

Hæ propositiones falsæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, spreta veritate quæstiones, & innumeris corruptelis viam aperiunt.

Ad probabilitatem sufficiunt quatuor. Sed quatuor immo & viginti, & supra, restantur unum sufficere: Ergo sufficit unus.

Ex auctoritate unius tantum potest quis opinionem amplecti, licet a principiis intrinsecis falsam, & improbabilem existimet.

In dubiis de bono, vel malo, licito, vel illicito, Jure divino vel humano, nullo præponderante argumento, quo dubitare possemus, licet utramlibet partem amplecti, nec tenemur anteferre eam, in qua constat nullum esse peccatum.

Omnes opiniones probabiles sunt per se æque tutæ, ac securæ: Benigniores, etsi aliquando sint minus probabiles, per accidens sunt semper utiliores, & securiores.

Homo non est suarum opinionum mancipium, ideoque probabiles quasvis sententias potest ad libitum mutare.

Si Liber sit alicujus Junioris, ac Moderni, debet opinio conferi probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem. Hanc propositionem damnavit *Alex. VII.* Pont. Max.

Clerus Gallicanus huic postremæ propositioni istam subnectens, *Non sunt scandalosæ, aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia non corrigit*, utramque his verbis confixit: *Has propositiones, quatenus silentium, & tolerantiam pro Ecclesia, vel Sedis Apostolicæ approbatione statuunt, falsæ sunt, scandalosæ, salutis animarum noxiæ, patrocinantur pessimis opinationibus, quæ identidem temere obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam viam parant.*

Sic vero judicavit de prima propositione his verbis concepta, *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus nullo Scripturarum, aut Traditionis fundamento, cum magno animarum periculo statuit.

REGULA XV.

Morum Regula ex Scriptura, & Traditione, non ex solis hominum opinionibus depromenda sunt.

De probabilium opinionum usu.

Ex ipsamet Scriptura Sacra hæc Regula depromitur. Ait enim Apost. 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Et ad Hebr. 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Qui sacros illos fontes consulit, ex iisque unis Regulas morum depromit, Christum imitatur, qui *Joan.* 7. se id tantum docuisse testatur, quod a Patre acceperat: *Mea Doctrina*, inquit, *non est mea, sed ejus, qui misit me, Patris.* Et Jo. 12. *Ego ex me ipso nihil sum locutus, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio, quod mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Idem colligitur ex Apost. ad Ephes. 4. dicente: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi . . . Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris.* De

Laxiorum Casuistarum effigies a Sancto delineata.

illis proinde, qui ad Mores dirigendos una humanarum opinionum probabilitate utuntur, divinis illis Regulis posthabitis, merito dici potest, quod Dominus de Pseudo Prophetis ait, Ezech. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in deserti Prophetæ tui, Israel, erant. Non ascendistis, ex adverso, neque opposuistis murum pro Domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, & perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? & dicistis, Ait Dominus; cum Ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erit manus mea super Prophetas, videntes vana, & divinant mendacium: In consilio Populi mei non erunt, & in Scriptura Domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: & scietis, quia ego Dominus Deus: Eo quod deceperint Populum meum, dicentes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem linientes cum luto absque paleis.* Fideles sunt ædificatio Dei, juxta illud, *Dei ædificatio estis.* Pseudo Prophetæ, cum Pseudo-Theologi, laxioresque conscientiarum Moderatores, qui parietem liniunt luto absque paleis, cum figmenta, & opiniones hominum, *Quæ Sp. Sancti non habent condimentum*, utpote in Scripturis Divinis, & Traditione Apostolica non fundatæ, ædificant. Unde totum ædificium corruat necesse est, & usque ad fundamenta, & pulverem dissolvatur. Consumentur autem, & Populus, & Prophetæ, quia sunt Animæ, per Jerusalem significatæ, *Causa peccati, & ruinæ, & stultæ securitatis* (ut explicat *S. Hier.*)

1. Cor. 3. 9.

Doctorum saniorisMoralis catastiores.

Sanioris vero Moralis Doctores describit Sp. Sanctus Eccles. 12. *Verba Sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt a Pastore uno. His amplius, filii mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis.* Verba Sapientium stimulis comparantur interprete *S. Hier.* quis pungunt, non palpant, vel molli manu attrahunt lasciviam, sed errantibus, & tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infligunt. *Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo Sapientis. Verba quippe Sapientium, ut stimuli. Quæ quoniam ad conversionem provocant delinquentem, & firma sunt, & a Concilio Sanctorum data, & ab uno Pastore consessa, & solida radice fundata sunt. Nec auctoritate unius, sed consilio, atque consensu Magistrorum omnium proferuntur.* Ab uno Pastore. *Quia licet plurimi doceant, tamen doctrina auctor unus est Dominus. Excepto his, nihil facias, nisi auctor unus est Dominus. Excepto his, nihil facias, nisi tibi vindices; Majorum sequere vestigia, ab eorum Auctoritate non discrepes. Alioqui quærenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te protrahat ad errorem. Moris est Scripturarum, quamvis plures libros, sinter se non discrepant, & de eadem re scribantur, unum Volumen dicere: Siquidem & Evangelium, & Lex Domini immaculata convertens animas, singulariter appellantur, cum plurva Evangelia, & multa sint mandata Legis.* Juxta hunc igitur sensum dictum est: Faciendi plures libros nullus est finis! Quicquid enim dixeris, si ad eum referatur, qui *In*

principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, unum volumen est, & innumerabiles libri una Lex, *unum Evangelium nominantur. Quod si diversa, & discrepantia disputaveris, & curiositate nimia huc, atque illuc animum deduxeris: etiam in uno libro multi libri sunt. Talibus igitur libris non est finis. Bonum enim omne, & veritas certo fine concluditur: Malitia vero, atque mendacium sine fine sunt. Et quanto plus requiruntur, tanto major eorum series nascitur.* Hinc *S. Aug.* expendens illud Jacobi 3. *Nolite plures Magistri fieri*, in Prologo Retractationum ait: *Restat, ut me ipse judicem sub Magistro uno, cujus de offensionibus meis judicium evadere cupio. Magistros autem plures tunc fieri existimo, cum diversa, atque inter se adversa sentiunt; cum vero id ipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius veri Magisterio non recedunt. Offendunt autem, non cum illius multa dicunt; sed cum addunt sua.* Sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falsiloquium.

Vagus probabilitatis usus periculosissima via.

Confirmatur statuta Regula ex *S. Irenæo*, Lib. 3. *Adversus Hæreses*, c. 5. *Qui enim, inquit, ad inventionem missi erant errantium Apostoli, & ad visionem eorum, qui non videbant, & ad medicinam languentium, utque non secundum veritatem opinionem colloquebatur eis, sed secundum veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines recte facient, si cœcos, jam jamque per præcipitium ferri incipientes, adhortentur insistere illi periculosissimæ viæ, quasi vere recta, & quasi bene perventuri sint. Quis autem Medicus volens curare ægrotum, faciet secundum concupiscentias ægrotantis, & non secundum quod aptum est Medicinæ? Quoniam autem Dominus Medicus venit eorum, qui se male habent, ipse testificatur, dicens:* Non est opus sanis Medicus, sed male habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores ad Pœnitentiam. *Quomodo ergo, qui male habent, confirmabuntur, & quomodo Peccatores Pœnitentiam agent? Utrum perseverantes in eisdem ipsis, an e contrario magnam commutationem, & transgressionem prioris conversationis accipientes, per quam agritudinem non modicam, & multa peccata sibimet ipsis importaverunt? Ignorantia autem mater horum omnium per agnitionem vacuatur. Agnitionem vero faciebat Dominus suis Discipulis, per quam & curabat laborantes, & peccatores a peccato coercebat. Non igitur jam secundum pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundum suspicionem interrogantium respondebat eis; sed secundum doctrinam salutarem, & sine hypocrisi, & sine personarum acceptione.* Matt. 9. 12.

Res conscientiæ ad Dei regulas dirigendæ.

Item ex *Tertulliano* Lib. De *Anima*, cap. 1. *Si quid de Anima examinandum est* (addiderim & de Animæ salute) *ad Dei Regulas dirigat. Certe nullum potiorem salutis demonstratorem, quam Auctorem reperiet. A Deo discat, quod a Deo habeat; aut nec ab alio, si nec a Deo. Quis enim revelabit, quod Deus texit? Inde sciscitandum est, unde & ignorare tutissimum est. Præstat per Deum nescire, quia non revelaverit, quam per hominem scire, quia ipse præsumpserit.*

Æternæ beatitudinis laboriosus, & arctus introitus.

Item ex *Clemente Alexandrino*, Lib. 7. Stromatum. *Maximum est*, inquit, *deponere opinionem, consistendo in medio accurata, perfectique scientia, & temeraria sapientia opinionis, & nosse, quod qui æternam sperat quietem, cognoscit etiam ejus introitum esse laboriosum, & arctum.* Et infra: *Voce Domini erudimur ad cognitionem veritatis. Non enim absolute enuntiantibus hominibus fidem habebimus, quibus licet etiam enuntiare contrarium. Si autem non satis est solum absolute dicere quod videtur, sed oportet etiam probare, quod dictum est, non expectamus testimonium, quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus, quod quæritur, quæ est magis fide digna, quam quavis demonstratio: Vel potius, quæ est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum gustavere scripturas, sunt fideles.* Et post plura: *Magis declinamus ad ea, quæ sunt opinabilia, quam ad veritatem: Est enim austera, gravisque, ac severa. Atque cum sint quidem tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, scientia: Qui in ignoratione quidem versatur, sunt Gentes: qui autem in scientia, vera Ecclesia: qui vero in opinione, ii, qui sectantur Hereses.* Denique post nonnulla subdit: *Qui paret Domino, & per eum datam sequitur Prophetiam, efficitur ad Magistri imaginem Deus, qui in carne versatur. Hanc ergo altitudinem minime assequuntur, qui non sequuntur Deum eos ducentem: Ducit autem per Scripturas divinitus inspiratas. Et cum sint innumerabilia, quæ fiunt ab hominibus, sunt utique duæ cujusvis peccati principia, ignoratio, & imbecillitas: Est autem utrumque in nostra potestate, cum hæc velimus discere, nec cupiditatem continere. Ex his autem unum quidem est, per quod non recte judicant, alterum vero, per quod non possunt exequi, qui recte sunt judicata. . . . . Consequenter ergo duæquoque disciplinæ tradunt utrique peccato utiles: Illi quidem cognitio, & ex Scripturarum testimonio evidens demonstratio: Huic vero, quæ est Verbo exercitatio, quæ a fide, & timore tamquam pædagogis ducitur. Crescunt autem ambo in perfectam caritatem.*

Quam periculosum sit opinionibus hominum in rebus salutis duci.

Item ex S. Joan. Chrysostomo, Hom. 13. in c. 7. Ep. 1. ad Corinth. *Vulgi*, inquit, *opiniones ne circumferamus, sed vel ipsas expendamus. An non enim, absurdum, ac præposterum fuerit; nos, cum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero, & calculo id committere; cum autem de rebus judicandum est, in aliorum opiniones temere, ac*

ac velut obtorto collo trahi: idque cum exactamverum omnium lanceam, ac normam, & amussim habeamus, nempe divinarum Legum sententiam?

Morum regulæ ex Scripturis Sacris eruendæ.

Item ex *S. Augustino*, Lib. 2. *De Doctrina Christiana*, c. 9. ubi recensitis Scripturæ Sacræ libris, ait: *In his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei. Cujus operis, & laboris prima observatio est, nosse istos libros, & si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa, quæ in eis aperte posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regula credendi, solertius, diligentiusque investigandæ sunt, qua tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentia capacior. In iis enim, quæ in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent Fidem, Moresque vivendi, spem scilicet, atque caritatem.* Et Lib. 3. cap. 10. *Non præcipit Scriptura nisi caritatem; nec culpat nisi cupiditatem: & eo modo informat Mores hominum.*

Constans etiam Ecclesiæ Sententia est, non minus Evangelicam vivendi Normam, quam ipsam Fidem, ex Traditione petendam. Ita docet *Innoc. I.* Epist. 1. ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum, *Non nostra*, inquit, *præcepta imperantur, sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupimus, quæ tamen Apostolica, & Patrum Traditione sunt constituta. Scriptum est namque ad Thessalonicenses, Paulo monente:* State, *& tenete Traditiones nostras, quos tradidimus vobis, sive per verbum, sive per Epistolam.*

Ita *S. Leo*, Ep. 24. alias 10. Ad *Flavianum* Constantinopolitanum Episcopum. *Quid iniquius, quam impia sapere, & sapientioribus, doctioribusque non cedere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Prophetica voces, non ad Apostolicas Litteras, nec ad Evangelicas Auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideo Magistri erroris existunt, quia Veritatis discipuli non fuere.*

Et Epist. 135. ad *Neonam* Ravennatem Episcopum, alias 27. ad *Leonem* Ravennensem: *Frequenter quidem in diversarum ambiguo quæstionum titubantia fratrum corda Spiritu Dei instruente solidavimus, responsionis formam vel ex Sanctarum Scripturarum Disciplinis, vel ex Patrum Regulis colligentes.*

Deut. 3. Ita *Gelasius I.* Epist. 5. ad *Honorium* Dalmatiæ Episcopum. *Ubi est, quod scriptum est:* Terminos Patrum tuorum non transgredieris: *&*, Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi: & Seniores tuos, & dicent tibi? *quid ergo tendimus ultra definita Majorum, aut cor nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis Patribus, & Senioribus singula quæque, vel vitam da præcepta sunt, vel aptanda Catholicæ Veritati; cur non his probantur esse decreta? Numquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate consistere, si ea, quæ ab illis constituta sunt, subruamus?*

Ita Conc. Trullanum, Can. 19. *Oportet eos, qui præsunt Ecclesiis, in omnibus quidem diebus, sed præcipue Dominicis, omnem Clerum, & Populum docere pietatis, & recta Religionis Eloquia, ex Divina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis: & non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum Patrum Traditionem. Sed & si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quemodo Ecclesiæ luminaria, & Doctores suis scriptis exposuerunt: & majores ex iis laudem assequentur, quam si quæ a sedicuntur componant, ne dum quandoque ad id hæsitant, abeo, quod convenit, excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam, Populi ad eorum, quæ sunt bona, & expetenda, & inutilia, ac rejicienda, cognitionem venientes, vitam in melius componunt, nec in ignorantia vitium delabuntur: sed doctrina mentem adhibentes, seipsos ad id, ne mali quid eis accidat, excitant; & immuniunt supplicorum metu sibi salutem operantur.*

Ita Conc. Constantinopolitanum 4. Oecumenicum 8. Can.
Hebr. 12. 6. Jac. 2. 26. 1. cujus hæc sunt verba: *Ut rectam, regiamque divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, Sanctorum Patrum Decreta, velut inexvincla quædam, semperque luceptes sacra, sequenda sunt. Quapropter Sanctiones Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ per traditionem, tum a Sanctis, omnique laudis præconio celebrandis Apostolis, tum ab orthodoxis, Oecumenicisque, & Provincialibus Conciliis, aut a quovis deiloquo Patre, & Ecclesiæ Doctore acceptas, servandas, custodiendasque profitemur. Traditiones enim sive per sermonem, sive per Epistolam Majorum nostrorum, qui vitæ sanctitati nobis præluxerunt, acceptas, disserte magnus Apostolus Paulus tenendas moner.*

Ita *Adrianus II.* Pont. Max. in Libello per Legatos lecto in Synodo 8. Oecumenica. *Prima salus est recta Fidei Regulam custodire: deinde a Constitutis Dei & Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet; alterum ad opus bonum: sicut enim scriptum est; Sine fide impossibile est placere Deo: sic rursus legitur: Fides sine operibus mortua est.*

Ita Conc. Lemovicense 2. anno 1634. *Observandum quidem magnopere est nobis ante omnia, & super omnia, uti Mandatum Dei, & non nostras Traditiones Populo observandas tradamus, & nihil nisi Scripturarum Divinarum auctoritatem fultum statuamus agendum: nihilque de cordibus, nihil extra Præceptum Domini, & Sanctorum Patrum (quod absit) constituere, docere, vel jubere præsumamus.*

Ita *S. Petrus Damiani*, Epist. 8. Lib. 1. seu Opusculo 24. c. 1. *Nos autem quia Magistros habemus Sanctos Apostolos, & Apostolicos Viros, non debemus, quod nobis videtur, eligere; neque, quod semel electum est, obstinate, & pervicaciter defensare; sed his dumtaxat, quæ a probatis Ecclesiæ Doctoribus definita sunt, fidem irretractabiliter adhibere.* Et alibi: *Quoniam ab Apostolis fidem, ab Apostolicis autem Viris conversandi in Ecclesia percepimus ordinem; ita propemodum non mutamus Disciplinæ modum a Majoribus traditum; sic illibatum tenemus ipsum quoque fidei fundamentum. Unde ad Tim. dicit Apostolus: Ut scias, quomodo oporteat in domo Dei conversari.*

Et *S. Bern.* Ep. 174. *Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculose præsumimus quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale est, quod nisi pretereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præterisse.* 2. Tim. 3. 16.

Et Tractatu ad *Hugonem de S. Victore*, cap. 2. *Ab his duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) crede mihi difficile, avellor. Cum his*, inquam, *me aut errare, aut sapere fateor*, &c.

Ita *Greg. VIII.* Lib. 3. Epist. 10. ad *Henricum* Germaniæ Regem. *Videntes*, inquit, *ordinem Christianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales, ac proprias lucrandarum animarum caussas diu prolapsas, & fundente diabolo conculcatas, concussæ periculo, & manifesta perditione Dominici gregis, ad Sanctorum Patrum Decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam, & unicam Ecclesiastica Disciplinæ Regulam, & tritam Sanctorum viam relicto errore petendam, & sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis, & æternæ vitæ introitum Christi ovibus, earumque Pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dicit:* Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & pascua inveniet: *Et ab Apostolis prædicatum, & a Sanctis patribus observatum in Evangelica, & in omni Divinarum Scripturarum pagina didicimus.* Joan. 10. 9.

Ex his colligitur....

REGULA XVI.

Doctrina Morum a Veteribus, & Sanctis, magis quam a Recentioribus Auctoribus petenda est.

Elicitur hæc Regula ex Job 12. *In Antiquis est Sapientia, & in multo tempore Prudentia.* Et Eccles. 39. *Sapientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens.* Et Eccles. 8. *Nonne præterea: narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis.* Et ex verbis *Jeremiæ* cap. 6. *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Et ex Apostoli verbis ad *Timot.* scribentis: *O Timothee, depositum custodi; devita profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes... circa fidem naufragaverunt.* Quem locum *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio 1. cap. 17. sic explicat: *Quis est hodie Timotheus, nisi vel generaliter Ecclesia universa, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram divini cultus scientiam & habere ipsi debent, & aliis infundere? Depositum*, inquit, *custodi. Quid est depositum? Idest, quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ Traditionis: rem ad te perductam, non a te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens.* Hinc *Hormisda* Pont. Max. Ep. 22. *Quid*, inquit, *recentia capitis, & prisca deseritis?* Et alibi: *Prima salus est, recta Fidei Regulam custodire, & a constitutis Patrum nullatenus deviare.* Hinc autem ipsum *S. Cælest. II.* Ep. 1. *Desinat incessere novitas vetustatem.* Hinc Zosimus: *Apud nos*, inquit, *inconvulsis radicibus vivit Antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam.* Hinc *Sylvester II.* scribit: *Sit lex communis Ecclesiæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei constituti, & totius Mundi reverentia conferati, & Decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.* Et ante illos omnes *Tertull.* Lib. *De Præscriptionibus*, cap. 6. *Nobis*, inquit, *nihil ex nostro arbitrio inducere licet; sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus Auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Christo Disciplinam fideliter Nationibus assignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de cælis aliter evangelizaret, Anathema diceretur a nobis.* Sane Recentiorum opiniones, quæ nec Scripturæ, nec Traditionis auctoritate, nec solidis, & utrique consentaneis rationibus, sed verisimilibus dumtaxat, aut extrinseca probabilitate, idest, recentiorum pariter Doctorum testimonio nititur, a fallacia, & errore nullatenus distinguuntur. Atque ita intelligenda est *S. August.* Sententia. Lib. *De Utilitate credendi*, cap. 11. *Tria sunt*, inquit, *velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari. Qua si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium numquam sine vitio... Quod intelligimus, debemus rationi: quod credimus, auctoritati: quod opinamur, errori.* Quamobrem ab Episcopis plerisque Gallicis, & a celeberrimis Academiis, Parisiensi præsertim, & Lovaniensi, merito confixæ Cum, & improbatæ sequentes Propositiones.

De probabilium opinionum usu.

Vetereses Sancti præ recentioribus Auctoribus Moralibus sequendi.

De probabilium opinionum usu.

Propositiones damnatæ.

Doctrinæ Fidei a Veteribus; doctrina Morum magis a junioribus petenda.

Puto omnia esse hodie melius examinata; & hanc ob rem in omni materia, & præcipue in Morali, Juniores quam Antiquiores lego, & sequor.

Non ergo opinio improbanda, eo quod ab antiquioribus non fuerit tradita.

De Sententia Doctorum Antiquorum verum sciri non poterit, nisi ipse Thomas, aut August. aut alii excitentur a mortuis. Præstat igitur adire vivos, quam recurrere ad mortuos, qui nequeunt mentem suam explicare.

Hæc objectio. Opinio nova videtur, *Doctum urgere nequit. Nam tota Moralis Theologia nova est.*

Licet ex solo rationis lumine disudicare, quando quis privatus possit pro tuenda vita, vel bonis, vel honore, aliquem occidere.

Secunda ex istis Propositionibus hac censura confixit generalis Conventus Cleri Gallicani anno 1700. *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, Sanctis Patribus, & antiquis Doctoribus contumeliosa, spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum, ne Traditionis auctoritate, & interpretatione, Moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas Traditiones, & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.*

REGULA XVII.

In Dubiis tutior pars est eligenda.

Tutior Sententia quando eligenda.

Hæc Regula fundatur in jure naturali, quo prohibetur omnibus, ne se periculo peccati exponant, aut salutem suam in discrimen adducant, secundum illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Hanc utriusque Juris Regulam consilium dumtaxat, non præceptum continere, quidam falso asseruerunt. Nam ibi præceptum includi censendum est, ubi verba sunt absoluta, & imperium exprimentia, & pœnæ decernuntur contra transgressores. Illud porro Juris Axioma verbis imperium designantibus exprimitur: non enim dicunt Summi Pontifices, Melius est eligere tutiorem partem: sed, *In dubiis tutior pars est eligenda*. Referuntur Canones huic Regulæ innixi.

Tutior Sententia quando eligenda.

1. In cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Homicidio*, proponitur iste casus. Homo quidam vulneratus est a Sacerdote, & subinde mortuus, dubium tamen est, an mors secuta fuerit ex vulnere.

2. In cap. *Significasti*, eodem tit. ubi proponitur similis fere casus de homine mortuo ex vulnere; sed dubium est, an vulnus illud a Sacerdote inflictum sit: quid facto est opus? Respondent Canones, Abstinere debere Sacerdotem a Sacris Ministeriis, quia cum aliqua sit aspersus homicidii suspicione, dubium est, an forte irregularis evaserit. Unde tutius est, ut se a Ministeriis Altarium submoveat, quam ut iisdem temere se ingerat, & cum periculo peccati, quia *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*: & illam partem potius eligere, *In qua nullum*, quam illam *In qua magnum periculum timeatur*. Idem colligitur ex Can. *Si quis posuerit*: Dist. 7. *De Pœnitentia*, ubi ex *S. Aug.* hæc referuntur: *Vis ergo a dubio liberari? Vis quod incertum est evadere? Age Pœnitentiam, dum sanus es.* Et Can. *Si quis autem*, eadem Dist. *Ergo tene certum, dimitte incertum.*

3. In c. *Illud*, Ext. *De Clerico Excommunicato*, &c. quo deponi jubetur Episcopus, qui non abstinuerit a Sacris Ministeriis in dubio Juris, an Sententia lata a Delegato non præmissa Monitione, & ante significationem, liget; *Quia in dubiis via est tutior eligenda.*

4. In Clementina, *Exivit*. Tit. *De Verborum significatione*, Summus Pontifex Fratribus Minoribus rogantibus Apostolicam Sedem, an sub mortalis peccati periculo ad eorum observantiam teneantur, quæ in Regula *S. Francisci* verbis interpretativis exprimuntur, respondet: *In his, quæ Animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda*: Ideoque *licet Fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi pœnuntur in Regula, sicut ad præceptorum, sub præceptis æquipollentium observantiam teneantur: expedit tamen ipsis Fratribus ad observandam puritatem Regulæ, & rigorem, quod ad ea, sicut ad æquipollentia præceptis, se noverint obligatos, quæ inferius annotantur*. Ex quibus constat, Regulam illam Juris Canonici non esse merum consilium, sed præceptum, eamque non solius facti (ut quidam perperam interpretantur) sed Juris etiam quæstiones spectare.

Confirmatur hæc Regula ex Auctore Operis Imperfecti in Evangelium *S. Matthæi*, inter Opera *S. Jo. Chrysostomi* editi, Hom. 44. *Si vestimentum emptturus*, inquit, *unum gyras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes invenerit, & pretio vilieri, ab illo comparas: quanto non oportet Populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincere veritas Christi venumdatur; & ubi corrupta; & veriorem eligere plusquam vestimentum?* Ex quibus constat, saniori semper, & tiori doctrinæ standum esse, eamque ceteris præponendam quæ Regulis Æternæ Veritatis, Scripturæ Sacræ, Traditioni, Sacris Canonibus, & Ecclesiæ menti, communi Thologorum sententiæ, magis consona est.

Cardinalis Bellarmini prudens consilium.

Hinc *illarm.* Cardin. Piissimus, & Doctissimus in Admonitione ad Episcopum Theanum Nepotem suum scribit: *Si quis vit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempo dicant, aut faciant: & si rei certitudo non possit ad liquido apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de summa re, cum de salute æterna tractatur, & facillimum est, consentiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo, conscientia non remordente, ad eum locum descendere, ubi verm non moritur, & ignis non extinguitur.*

Propositiones damnatæ.

Deniq a plerisque Galliarum Episcopis, & celeberrimis Academi hæc Propositio reprobata est: *Hæc Regula Juris*, In Dubi Tutius Eligendum, *perfectionis est, non obligationis; seu consilii, non præcepti*. Et illa: *Omnes opiniones probabiles sunt per se æque tuta, & securæ: benigniores, etsi aliquando sint minus probabiles per accidens, sunt semper uliores, & securiores.*

Obtenditur objectio.

Frustr vero quidam objiciunt celebrem illam Juris Civilis Regulam: *In Dubiis tutior est conditio possidentis*. A pluribus tem annis comparatum esse jus possessionis circa delectuminus probabilis Sententiæ.

Respdetur enim huic objectioni: Primo, nullum jus comparat a possessione, quæ non est pacifica: hæc autem possessio quam obtendunt effreni probabilitatis defensores, pacifica an fuit, cum plures Doctores intercesserint.

Tutior Sententia quando eligenda.

Respdetur secundo, illud Axioma in materia justitiæ commutivæ dumtaxat, & in foro exteriori valere; non in foro conscientiæ, & in materia aliarum virtutum: quæ in hoc differunt a justitia commutativa, quod illæ nobis providet; illa vero alienum jus procuret. Cum igitur nemo a su possessione seipsum dejiciat, aut sibi ipsi litem intentet ipsi istius possessionis inepte ad materiam aliarum virtutum traducitur. Longe quippe diversæ sunt utriusque fori leg. Forum judiciale pœnam irrogat, quæ cum ex se odio sit, dubia, si quæ emergunt, explicari debent in Rei favem. At forum conscientiæ respicit emendationem Pœnitentis: unde si dubium subsit, debet sequi tutiorem partem, Sententiam faventem legi, non sibi. Quæ Responsio confirmatur ex c. *Juvenis*, Ext. *De Sponsalibus*, cujus hæc sui verba: *Juvenis, qui puellam nondum septennem duxit, uxoris ratus repugnet, ex humana tamen fragilitate forsan ntavit, quod complere non potuit. Quia igitur in his, qi dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus: tum propter honestatem Ecclesiæ, quia ipsa conjux ipsius ipse dicitur: tum propter prædictam dubitationem: mandans, quatenus consobrinam ipsius puellæ, quam postmodum uxxit, dividas ab eodem.* Idem confirmatur ex c. *Domini*, Ext. *De Secundis Nuptiis*, quo sancitum est, muliera de morte prioris conjugis dubitantem, non posse pergere in possessione debitum exigendi a secundo marito. Item e cap. *Inquisitioni*, Ext. *De Sententia Excommunicationis*, quo prohibetur conjugi de impedimento dirimente prohibiter dubitanti, ne debitum exigat, non obstante exigen possessione.

REGULA XVIII.

Tutiore opinionem sequi non tenemur, cum opposita Sententia verior, & probabilior est.

Tunenim nullo modo versamur in dubio, sed propendemus in illam Sententiam, quam probabiliorem judicamus, Sumus moraliter certi. Nam *Opinio, & Præsumptio vemens pro certitudine habenda est*, ut colligitur ex c. *Venit*, Ext. *De Presbytero non baptizato*, & ex Canone *ixit Dominus*, Caussa 32. q. 1. & ex c. *Asserte*, Ext. *De Præsumptionibus*.

Tutior Sententia quando eligenda.

Confirmatur ex cap. *Placet*, Tit. *De Conversione Conjugatorum*, quo hæc proponitur, & solvitur quæstio: Mulier quædam credens mortuum maritum, Religionis habitum sumpserat eoque reverso, de Monasterio educta fuerat. A Summo Pontifice quæsitum est, an post obitum viri ad Regularem servantiam compellenda esset. Respondit Pontifex: *Quod ici Votum ejus usquequaque non tenueris, eatenus tamen fa obligatorium, quatenus se poterat obligare. Promiste enim iraudo Monasterium, se non exactuam carnis debitum, quod ei in potestate ipsius: Redire vero ad saculum in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti; & ideo quantum ad ipsa tenuit votum: quod post viri obitum tenere non desit, eo ad eum casum, a quo efficax poterat habere principium pervenisse noscatur. Consultius itaque esse respondit*, eidemp mulieri congruentius ad salutem, *ut ad Monasterium redeat bi bona ducta intentione Professionem fecit, & habitum Religiis sumpsit. Si vero ad hoc induci non poterit, ipsam invita non cogendam.* Tutius erat, ut illa Mulier ad Monasterium rediret, atque religiose viveret: quia tamen pro-

probabilius erat Votum ipsius irritum fuisse, quatenus mariti Juribus repugnabat, utpote, quæ esset sub potestate viri; cogi non poterat, ut ad Monasterium rediret. Tutiorem igitur opinionem sequi non tenemur, cum opposita Sententia verior, & probabilior est.

Hanc Regulam confirmat *S. Anton.* part. 1. Tit. 3. *De Conscientia*, c. 10. §. 10. *Eligere*, inquit, *viam tutiorem, consilii est, non præcepti alias oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quam in sæculo. Non ergo de necessitate opertet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta. Sicut enim diversæ viæ tendunt ad unam civitatem, licet una tutior alia sit: sic ad civitatem istam alius sic, alius sic vadit, & tuto, licet aliquis tutiori modo.*

REGULA XIX.

Cum utraque opinio judicatur æque probabilis, tutior necessario eligenda est.

Qui enim judicat duas opiniones oppositas esse æqualiter probabiles, vel quasi æqualiter, non est certus moraliter de illarum veritate, sed dubius. Siquidem opinari nihil aliud est, quam ex probabilibus conjecturis credere, seu judicare rem veram esse, illique assentiri, non quidem adhæsione firmissima, & certissima, sed cum formidine partis oppositæ; idest, formidando, ne pars opposita vera sit. Unde *S. Bern.* Lib. 5. *De Consideratione*, c. 2. ait: *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potius, quam apprehendit ... Multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt. Et quidem opinio potest putari intellectus, intellectus opinio non potest. Unde hoc accidit? Profecto quia hæc falli potest, ille non potest. Aut si fallipotuit, intellectus non fuit, sed opinio: verus enim intellectus certam habet non modo veritatem, sed notitiam veritatis .... Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias.* Cum igitur homo, qui dubius est in quæstione mores spectante, in qua salutis periculum vertitur, tutiorem opinionem sequi tenetur ex præcepto: recte colligitur in ea hypothesi, qua utraque opinio judicatur æque probabilis, tutiorem esse necessario eligendam.

Quod autem inter opiniones æque probabiles animus anceps fluctuet, dubiaque sit, & perplexa sententia, constat ex Can. *Nirvi*, dist. 13. desumpto ex *S. Gregorio* Lib. 32. *Moralium*, c. 18. 19. & 20. verba illa *Job* explicante: *Nervi testiculorum Leviathan perplexi sunt*: Perplexitatem enim illam ex diaboli malis artibus oriri docet, *Quia suggestionis illius argumenta implicatis inventis illigantur, ut plerosque ita peccare faciant, quatenus si forta sse fugere peccatum appetant, hoc sine aliquo peccati laqueo non evadant, & culpam faciant, dum vitant, ac nequaquam se ab una valeant solvere, nisi in alia consentiant se ligari.* Quod diversis exemplis animi contrariis opinionibus agitari, & in utramque partem impulsi probat. *Ecce quidam*, inquit, *dum Mundi hujus amicitias appetit, cuilibet alteri similem sibi vitam ducenti, quod secreta illius omni silentio contegat, se jurejurando constringit. Sed is, cui juratum est, adulterium perpetrate cognoscitur; ita ut etiam maritum adultera occidere conetur: Is autem, qui jusjurandum præbuit, ad mentem reverritur, & diversis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc silere formidat, ne silentio adulterii simul, & homicidii particeps fiat, & prodere trepidat, ne reatu se perjurii obstringat. Perplexis ergo testiculorum nervis ligatus est, quia in quamlibet partem declinet, metuit, ne a transgressionis contagione liber non sit .... Alius cuncta, quæ Mundi sunt, deserens, atque per omnia frangere proprias voluntates quærens, alieno se subdere regimini appetit: sed eum, qui sibi præesse apud Deum debeat, minus cauta inquisitione discernit: cui fortasse is, qui sine judicio eligitur, cum præesse jam cœperit, agere quæ Dei sunt, prohibet; quæ Mundi sunt, jubet. Pensans itaque subditus, vel quæ sit culpa inobedientiæ, vel quod contagium secularis vitæ, & obedire trepidat, & non obedire formidat, ne aut obediens Deum in suis præceptis deferat, aut rursus non obediens, Deum in electo Priore contemnat .... Alius pensare pondus Honoris Ecclesiastici negligens, ad locum Regiminis præmiis ascendit. Sed quia omne, quod hic eminet, plus mæroribus afficitur, quam honoribus gaudet, dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpæ revocatur, doletque se ad laborem culpa pervenisse, & quam sit iniquum, quod admiserit, ex ipsa fractus difficultate cognoscit. Reum igitur se cum impensis præmiis agnoscens, vult adepta sublimitatis locum deferere: sed timet, ne gravius delictum sit susceptri gregis custodiam reliquisse: vult susceptri gregis curam relinquere; sed formidat ne deterior culpa sit, regimina Pastoralis Gratiæ empta possidere. Per honoris ergo ambitum, ligatum culpæ hinc inde se conspicit. Esse quippe sine reatu criminis neutrum videt, si aut susceptus semel grex relinquatur; aut rursum sacra actio sacularitter empta teneatur. Undique metuit, & suspectus latus omne pertimescit; ne aut stans in empto regimine non digne lugeat, quod non etiam deserens emandat; aut certe regimen deserens, dum aliud flere mititur, rursus aliud de ipsa gregis destitutione committat.* Adeo verum est, eum, qui variis opinionibus agitatur, & per rationes utrinque probabiles, aut verisimiles in utramque partem impellitur, dubium esse, atque perplexum.

Tutior Sententia quando eligenda.

Idem probatur ex cap. *Fraternitatis*, Ext. *De frigidis, & Maleficiatis*. Lata fuerat Sententia separationis thori ex errore probabili, ut constat ex his verbis, *Sententiam divortii per errorem licet probabilem novimus esse prolatam*. Et tamen *Innoc. III.* Pontif. Max. ait rem tunc temporis fuisse dubiam: *Quamdiu*, inquit, *articulus iste dubitabilis erat.*

Idem colligitur ex c. *Illud*; Tit. *De Præsumptionibus*, ubi in quæst. utrum inter liberam, & servum fuisset contractum Matrimonium, necne, expenduntur rationes pro utraque parte probabiles; & tamen res dubia æstimatur, ut patet ex his verbis: *In hujusmodi dubitatione.*

Idem colligitur ex c. *Veniens*, Ext. *De Presbytero baptizato*. Quæstio erat an ordinatus ante Baptismum recepisset Ordinis characterem. Pro parte negante hæc afferebatur ratio: quod cum Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante illius susceptionem nullum aliud Sacramentum recipiatur. Pars affirmans hæc ratione nitebatur, quod non solum per Sacramentum Fidei, sed per fidem etiam Sacramenti homo Christi membrum fiat; & qui Christum habet in corde per fidem habeat fundamentum, quod est Christus Jesus. Utraque pars probabilis erat, & tamen Summus Pontifex respondit: *In hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad Sacerdotium promovere procures.* Constat ergo ex eo capite, quæstionem effici dubiam ex probabilium opinionum, & rationum conflictu, & in eo dubio non utramlibet opinionem probabilem, sed tutiorem tantum esse eligendam.

REGULA XX.

Cum ex duabus opinionibus oppositis, æque probabilibus, certum, & exploratum non est, qua sit tutior, servanda sunt Regulæ a Jure præscriptæ.

Tutior Sententia quando eligenda.

Quasdam enim Regulas Jus præscribit, quas in dubiis sequi oportet, quæ habentur Tit. *De Regulis Juris, De rebus dubiis, De Legibus*, & alibi passim, quales sunt: *In dubio judicandum, ut actus valeat potius quam pereat.* (L. *Quoties*, & L. 2. ff. *de rebus dubiis.*) Item: *In dubiis id sequendum, quod in regione, in qua actum est, frequentatur.* (L. *Semper in stipulationibus*, ff. *De Regulis Juris*) Et: *Minime mutanda sunt, quæ certam sententiam semper habuerunt.* (L. *Minime*, ff. *De Legibus.*) Item: *Ubi contraria extant sententiæ, pronuntiandum est pro possessore.* (L. *Res alienas*, C. *De Rei vindicatione.*) Et potius pro reo quam pro Auctore, nisi *In caussa favorabili* (ut loquuntur) ut *Matrimonii, libertatis, doris, testamenti*; ut legitur, c. *Duobus*, Ext. *De Sententia, & re judicata*. Hinc versus illi apud Jurisconsultos vulgati:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos:
Si sint æquales, qui producuntur utrinque.

Alias ubi sunt opiniones discordes, Judex tenetur sequi communem, ut colligitur cap. *Novimus*, Tit. *De Verborum Significatione*, & Can. *De Judiciis*. Caussa 3. qu. 3. Can. *In Canonicis*, dist. 19. & L. 1. *De Officio Quæstoris*: Rursus, in dubiis præferendum quod *Benignius* est, quod *verisimilius, quod plerumque fieri solet*, ut colligitur ex L. *Semper in dubiis*; ex L. *In obscuris*, & L. *Quoties idem*, ff. *De Regulis Juris.*

REGULA XXI.

In Moralium Quæstionum solutione maxima sacrorum Canonum habenda est ratio.

Sacrorum Canonum in moribus dirigendis auctoritas.

Ita docent *Julius I.* Epist. 1. ad Orientales: *Nolite errare, Fratres mei dilectissimi, Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. En institutæ Apostolorum, & Apostolicorum virorum, Canonesque habetis. His fruimini, his circumdamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis.*

Cœlestinus I. Pontifex Maximus, Epistola ad Episcopos Illyrici: *Dominentur nobis Regula, non Regulis dominemur: Simus subjecti Canonibus, cum Canonum præcepta servamus.*

Leo IV. Epist. 2. ad Episcopos Britanniæ, c. 6. *De Libellis*, inquit, *& Comentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & Sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium Regulas, idest, qua habentur apud nos simul cum illis in Canone, & quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur Judiciis; idest, Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africanensium: & cum illis Regula Prafulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Simplicii. Isti omnino sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul, & Clerici judicantur. Nam si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minime posset per istos finiri, tunc si illorum, quorum meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, vel ceterorum similiter Sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda: vel ad Apostolicam Sedem referatur, de talibus: Quam ob caussam luculentius, & magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa Patrum Statuta, quæ apud nos Canones pratitulantur, sive sit Episcopus, sive Clericus, sive Laicus, non indifferenter receperit, ipse convincit, nec Catholicam, & Apostolicam Fidem, nec Sanctæ veræ Christi Evangelia quatuor utiliter, & efficaciter, & ad effectum suum, retinere, vel credere.*

Ante *Leonem IV.* Septima Synodus Oecumenica, Can. 1. *Hi, qui Sacram sortiti sunt Dignitatem, testimonia; & directiones Canonicarum Præceptionum forma consistunt. Quas libenter suscipientes, cum deiloquo David canimus ad Dominum*; In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Et mandasti justitiam testimonia tua in æternum ... *His ita se habentibus, exultantes in eis, sicut qui invenit spolia multa, divinos Canones amplectibiliter in pectoribus recondimus, & integram illorum præceptionem, ac immobilem tenemus: tam scilicet illorum, qui ab almis Apostolis Sancti Spiritus tubis editi sunt, quam eorum, qui a sex Sanctis, & Universalibus Synodis, atque his Conciliis, quæ localiter collecta sunt, in expositionem hujusmodi Decretorum promulgati sunt: necnon, & eorum, qui a Sanctis Patribus nostris prolati fuisse probantur. Ab uno enim eodemque Spiritu illustrati, definierunt, quæ expediunt.* Confer cum Trullana Synodi Canone 2.

Psalm. 118.

Canon *Violatores*, sub *Damasi* Papæ nomine prolatus, caussa 25. qu. 1. *Violatores*, inquiunt, *Canonum voluntarii gravitter a Sanctis Patribus judicantur: & a Sancto Spiritu, instinctu cujus, ac dono dictati sunt, damnantur: Quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem Sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum: Quia contra eum agit, cujus nutu, & gratia Sancti Canones conditi sunt.*

REGULA XXII.

Sacrosancti Canones qualibet desuetudine abrogari non possunt universi, & singuli.

Sacrorum Canonum in moribus dirigendis auctoritas.

Qui enim juris naturalis, & divini aliquid admixtum habent, semper, & immobiliter obligant, ut docet *S. Thom.* quodlibeto 9. art. 15. ubi loquens de Canonibus plurium Præbendarum, sive Beneficiorum possessionem prohibentibus, ait: *Quantum ad hoc, quod Jura illa antiqua continent Jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc, quod solum de Jure positivo continent, possunt esse abrogata, præcipue si dissimulantes hanc contrariam consuetudinem, quorum potestate est jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare.* Ita autem se res habet, ut pleræque Ecclesiæ Leges, quæ ad mores pertinent, non novum aliquod jus invehant, sed jus tantum naturale, & divinum, præscriptamque in Evangelio vitæ institutionem interpretentur, firment, & ad particulares caussas applicent. Sic, exempli gratia, Canonicæ Pœnitentiæ pro variis criminum generibus præscriptæ, tamesti modum suum ex sola Ecclesiæ institutione repetant, ex divina institutione extenus pendent, quatenus Sacramentum Pœnitentiæ Christus instituit, ut per illud non ita facile, ac per Baptismum, sed multis laboribus, & congruis satisfactionibus gravia peccata expientur. Itaque licet in hoc mutari possit Ecclesiæ Disciplina, ut modo graviores, modo remissiores pœnæ peccatis infligantur; effici tamen non potest, quin Pœnitentiæ laboriosus sit Baptismus, quin pro modo criminum congruæ Pœnitentiæ imponendæ a Sacerdotibus, a Pœnitentibus obeundæ sint. Namquam ergo ulla desuetudine abrogari poterit illa Conc. Trident. Sanctio sess. 14. cap. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & Prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares, & convenientes Satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Similiter quamvis simonia, ambitus, concursationes ad obtinenda Beneficia, lucri ex mutuo capitatio passim toleraretur, perpetuo tamen vivet illorum Canonum auctoritas, quibus ista damnantur, & debitis pœnis afficiuntur. Non igitur, ut quæque Ecclesiæ Lex incuria hominum in desuetudinem abiit; continuo prorsus extincta censenda est; vivit enim adhuc quicquid in ea divini, ac naturalis est juris.

Qua ratione num quam abrogentur.

Quod vero in Sacri Canonibus positivi juris est, sola etiam desuetudine, aut consuetudine contraria non abrogatur, si desuetudo illa sit recens, nec ab Ecclesia tolerata; si contraria illa consuetudo non sit præscripta: si Ecclesia abusum Canonibus contrarium plectat, quoties ad ipsam deferatur. Hinc Parisiense Concilium 6. cap. 1. *Quorumdam*, inquit, *perversissimæ consuetudines, propriaque voluntates multimoda adinventione contumaciter, quod valde periculosum est, efficiunt, ut opera fidei magna ex parte negligantur. Qui dum legis divinæ transgressores existunt, easdem consuetudines sibi legem faciunt; & secundum eas se vivere absque sui discrimine & posse, & debere contendunt, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Quod quantum auctoritati divina contrarium sit, aut non advertunt, aut certe animadvertere detrectant. Quantum etiam ob hoc Religio Christiana in eis periclitetur, facile, qui sapit, advertit. Quapropter unusquisque fidelis, si salvus esse vult, oportet, ut remotis perversis consuetudinibus, quæ periculum animarum generant, fidem Christi, quam percepit, bonis operibus exornare non negligat.*

Et Concilium Suessionense 3. *Mala*, inquit, *consuetudo, quæ non minus quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur; & incipiunt prævaricationes, & varia præsumptiones celerrime non compressæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.* Abusus igitur adversus Canones invalescens improbe, & ab improbis tantum jus putatur: A probis autem corruptelæ, prævaricationis, præsumptionis loco habetur, præsertim si legis utilitas, ac ratio maneat: tunc enim, secundum *S. Thomam*, 1. 2. qu. 97. art. 5. consuetudini semper præponenda est. *Si*, inquit, *maneat ratio eadem, propter quam lex primo utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.*

REGULA XXIII.

Si gravis aliqua Quæstio emergat circa morum Disciplinam, quæ ob sui novitatem, obscuritatem, difficultatem, solvi a Theologis non possit, roganda est Episcoporum, præsertimque Romani Pontificis Sententia.

Episcoporum vel Romani Pontificis sententia aliquando roganda in quæstionibus morum difficilibus, vel ambiguis.

Nititur hæc Regula verbis *Deuteronomii*, cap. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, & Judicum inter portas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequeriseque sententiam eorum, nec declinabis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Ex quo loco *Innocent. III.* cap. *Per venerabilem*, Ext. *Qui filii sint legitimi*, probat, ad Judicium Sedis Apostolicæ in caussis, & quæstionibus difficilibus, vel ambiguis esse recurrendum: cujus Sententiam, qui superbiens contempserit observare, mori præcipitur, idest, per Excommunicationem, velut mortuus, a Communione Fidelium separari.

Hinc antiqua consuetudo Concilis Provincialis bis in anno celebrandi, secundum Nicænos Canones, in quibus Conciliis nihil ante proponeretur, quam *Ea, quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia pertinebant, finirentur* (ut loquitur Concilium Arvernense 1. Canone 1.)

Hinc etiam sollemnis consuetudo ab antiquis temporibus in Ecclesia semper observata, ut in Caussis majoribus, & difficilibus, seu Fidem, seu morum Disciplinam spectantibus, Sedis Apostolicæ Sententia rogaretur, ejusque Responsum instar legis haberetur. Cujus consuetudinis testis est *Innocentius I.* Epistola ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum. *Consulenti tibi, Frater carissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiæ meæ, quæ sunt visa respondi, quod sequendum, vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custoditæ series temporum demonstraret: & quidem Dilectio tua institutum secuta Prudentium ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubiis custodire deberet, potius quam usurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur de singulis, obtinere.*

Et Ep. 4. ad *Felicem* Nucerianum Episcopum: *Mirari non possumus Dilectionem tuam sequi instituta Majorum, omniaque quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronuntiet. Quod & nos libenter accipimus, & dilectionem tuam memorem Canonum approbamus.*

Testis *S. Leo* Epist. 82. alias 91. ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum: *Sollicitudinis quidem tuæ*, inquit, *hic ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitus de eo, quod quærendum videbatur esse, conferres: Ac si id, quod ignorabat Dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter poscereris: Quia in caussis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet inquiri. Sed ut quoquomodo instruatur ambiguitas consulentis, quid de Pœnitentium statu Ecclesiastica habeat Regula, non tacebo.* Sic *Rusticus* Narbonensis Episcopus eumdem Sanctum Pontificem variis de quæstionibus Disciplinam spectantibus per litteras interrogavit, ejusdem Responsa Regularum instar suscepit. Sic ad *Innocentium I. Victricius* Rothomagensis Episcopus, sic ad *Siricium Himerius* Tarraconensis, dubia Disciplinæ capita retulerunt. Sic rursus *Nicetas* Aquilejensis ad *S. Leonem*, cui respondit Sanctus Pontifex Epist. 129. alias 79. *Regressus*, inquit, *ad nos filius meus Adeodatus Diaconus Sedis nostræ, dilectionem tuam poposcisse memoravit, ut de his a nobis Auctoritatem Apostolica Sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem disjudicationis videtur adferre.*

Testis *Pelagius II.* Epist. 8. relata Can. *Multis* dist. 17.

Majores, & difficiles Quæstiones, inquit, *ut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad Sedem Apostolicam semper referantur.*

Testis *Alexander III.* cap. *Sicut*, Ext. *De rescriptis*, Archiepiscopi Senonensis consultationi respondens: *Sicut*, inquit, *Romana Ecclesia omnium, disponente Domino, Mater est, & Magistra, ita & nos, qui eidem Ecclesiæ, licet immeriti, superna dispositionis providentia præsidemus, prout Dominus nobis ministraverit, consultationibus respondere cogimur singulorum; & quæ sunt dubia, Apostolicæ circumspectionis providentia declarare.*

Juris denique Canonici pars maxima constat Romanorum Pontificum Responsis ad quæstiones difficiles, quas orbis totius Christiani Episcopi ad Sedem Apostolicam referebant,

REGULA XXIV.

Cum Scriptura Sacra, Patrum, sacrorum Canonum auctoritate Quæstiones Morales solvi non possunt, ea sequenda est opinio, quæ melioribus rationibus nititur, & a Theologis numero, doctrina, pietate præstantioribus asseritur.

De probabilium opinionum usu.

Nam, ut ait *S. Aug.* Lib. 3. *Contra Academicos*, c. 20. *Nulli dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis, atque rationis. Mihi autem certum est, nusquam prorsus a Christi Auctoritate discedere: Non enim reperio valentiorem.* Quod autem ei potius adhærendum sit Sententiæ, quam plures, doctiores, sanctioresque Theologi sequantur, colligitur a pari ex Canon. *In Canonicis*, dist. 19. qui ex *Sanct. Augustino* Lib. 2. *De Doctrina Christiana* sumptus est. *In Canonicis*, inquit, *Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium Auctoritatem sequatur, inter quas sane illa sint, quæ Apostolicas Sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut ea, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quæ quædam non accipiunt: In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat ea, quas plures, graviores que accipiunt, eis, quas paciores, minorique auctoritatis Ecclesia tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, æqualis auctoritatis eas habendas puto.*

Et infra: *In his omnibus Libris timentes Deum, & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei, cujus operis, & laboris prima observatio est nosse ipsos libros; deinde quæ in eis aperte posita sunt vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertius, diligentiusque investigandæ sunt, quæ quanto quisque plura invenit, tanto est intelligentia capacior. In iis enim, quæ in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent Fidem, Moresque vivendi.* Non modo igitur in Fidei, sed etiam in Morum controversiis probabilior opinio sequenda est: & cum Scripturæ Sacræ, Sanctorum Patrum, Sacrorum Canonum auctoritas expressa illas non dirimit, ea sequenda est sententia, quæ melioribus rationibus nititur, & Legi Dei convenientior asseritur a Theologis numero, doctrina, pietate præstantioribus.

De probabilium opinionum usu.

Eadem Regula confirmatur ex probabilitatis notione ab Aristotele tradita in Topicis: *Probabilia*, inquit, *ea sunt, quæ omnibus videntur, aut plurimis, aut certe sapientibus: Isque rursum aut omnibus, aut pluribus, aut præstantioribus.* Hinc *Theodosius* Imperator edixit, ut *Ubi diversæ Sententiæ proferuntur, potior numerus vincat Auctorum: vel si numerus æqualis sit; ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut singulos vincit, ita prævalet duobus.* Refert *Baronius* ad ann. 345. Magis tamen ponderandas rationes, quam numerandos Auctores, qui sæpe mores pecudum sequuntur antecedentem gregem, euntes non quo eundum est, sed quo itur, ut colligitur ex Institutionibus *Justinianis* Lib. 3. Tit. 24. *Sed Proculi sententia*, inquit, *dicentis permutationem esse propriam speciem contractus a vendatione separatam, merito prævalvit: Cum & ipse aliis Homericis Versibus adjuvabatur, & validioribus rationibus argumentabatur.* Et Lib. 1. § *Sed neque* C. *De veteri Jure enucleando*, idem *Justinianus* ait: *Sed neque ex multitudine Auctorum, quæ melius, aut æquius est, judicatote, cum possit unius forsan & deterioris sententia, & multos, & majores aliqua in parte superare.* Hinc cap. *Cum in cunctis*, Ext. *De iis, quæ fiunt a majore parte Capituli*, quod ex Concilio Lateranensi 3. sub *Alexandro III.* cap. 16. sumptum est, decernitur, *Ut nisi a paucioribus, & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & ostensum, appellatione remota prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod a majori, & sanioris parte Capituli fuerit constitutum.* Et Can. *Sana*, dist. 9. dicitur: *Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem & exempla concordantes sed illa, quæ tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate:* Quod ex *S. Augustino*, Lib. 1. *De Civitate Dei*, cap. 23. sumptum est. Quamobrem communis opinio tunc solum sequenda est, quando firmioribus nititur argumentis. Ratio est, quia communis opinio ad summum vim habet consuetudinis: At consuetudo rationem non vincit. Denique hanc Regulam servant tam Rota Romana, quæ communem opinionem non sequitur, quando exploratum est contrariam esse veriorem, & firmioribus rationibus fultam, quam Sacra Congregatio Concilii, quæ propterea in casibus emergentibus sæpius mandavit, ut expenderetur opinio communis, referente *Fagnano*, in 1. Decretal. in cap. *Ne innitaris*, Tit. *De Constitutionibus*, Num. 347.

Quæ vere probabilis opinio.

Ponderandæ magis rationes, quam numerandi Auctores.

REGULA XXV.

Non licet Medico in Medicina praxi minus probabilem opinionem sequi, præbendo medicamenta, quæ probabilius nocitura sunt ægrotæ, quam profutura.

An liceat Medicis opinionem minus probabilem in praxi sequi?

Ita Innocentius IV. Joannes Andreas, & alii in cap. *Tua nos*, Extra. *De Homicidio*, Ille enim homicida esset, juxta Canonem *Abisi*, dist. 1. *Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.* Quamquam enim non est in Medico semper relevetur ut æger, tamen nihil debet omittere, ut quantum in ipso est, sanitatem procuret. Ut enim ait *Boetius*, Lib. de Trinitate: *Neque enim*, inquit, *Medicus semper ægris affert sanitatem, sed nulla culpa erit medentis, si nihil eorum, quæ fieri oportebat, omiserit.* Quod nisi præstet, officio suo deest, adeoque peccat non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam. Hinc L. *Illicitas*, §. *Sicuti*, Tit. *De Officio Præsidis*, Lib. 1. Digest. *Sicut Medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet. Prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.* Et L. *Idem Juris*, ff. Ad *Legem Aquiliam*, Lib. 9. Digest. *Idem Juris est, si medicamento perperam usus fuerit.* Et L. *Medicus*, ff. *De variis, & extraordin. cognitionibus*, Lib. 1. Digest. *Si Medicus, cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum, per adversa medicamenta inferendo, compulit ut ei possessiones suas contra fidem bonam ager venderet, in civile judicium Præses Provinciæ coerceat, temque restitui jubeat.*

REGULA XXVI.

Non licet Judici minus probabilem opinionem sequi, posthabita probabiliori: ac ferre Sententiam in favorem partis, pro qua militent levioris momenti rationes, adversus illam, pro qua validiores proferuntur.

An liceat Judicibus minus probabilem opinionem sequi?

Sententia enim judicium intellectus sequi debet, quod minime fieri potest in illam partem, pro qua militant levioris momenti rationes. Quamobrem si feratur pro parte debiliori, fertur contra judicium rationis, adeoque iniqua est. Secundo, talis Sententia est contra *Potiora Jura* alterius ex litigatoribus, & ideo injusta, ut colligitur ex L. *Edicto*, C. *De Edicto D. Adriani tollendo.* Tertio, cum judex sit Dei Minister in terris, necesse est, ut ipsius Judicium *prodeat de vultu Dei*, qui est *via, veritas, & vita.* Quamobrem Judicium suum cum veritate conformare debet, & ipsam totis studiis juvare, & ad lucem perducere. Item debet sequi Legum, & Justitiæ vestigia, non exemplis, aut præjudiciis niti, ut constat ex L. *Nemo*, C. *de Sententiis, & interlocut. omnium Judicum*, cujus hæc sunt verba. *Nemo Judex, vel Arbiter existimet neque consultationes, quas non rite judicatas esse putaverit, sequendum, & multo magis Sententias Eminentissimorum Præfectorum, vel aliorum Procerum. (Non enim si quid non bene dirimatur, hoc & in aliorum Judicum virium extendi oportet, cum non exemplis, sed Legibus judicandum sit:) ... Sed omnes Judices nostros veneratem & legem, & justitia sequi vestigia sancimus.*

Confirmatur ex Can. *Judicantem*, Causa 30. qu. 5. cujus hæc sunt verba: *Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogando, respondendi, objiciendique prabita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit plenius: Nec litigantibus Judex prius velit sua Sententia obviare, nisi quando ipsi tam peractis omnibus nihil habeat in quæstione, quod proponant: & tamdiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur.* Joan. 5. 35.

Accedit, quod Judex unicuique Jus suum reddere teneatur secundum causæ merita, & neminem lædere, maxime cum sit a Rege, aut a Republica constitutus ad lites dirimendas, secundum quod ei melius videbitur. Denique personarum acceptio justitiæ repugnat: Esset autem acceptio personarum manifesta, si ferret Sententiam Judex in gratiam partis, pro qua militant levioris momenti rationes, adversus illam pro qua validiores proferuntur. Hinc *S. Ambrosius* Serm. 20. in Psal. 107. Num. 36. *Bonus judex*, inquit, *nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis: sed juxta Leges, & jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati: nihil paratum, & meditatum domo deferi: sed sicut audit, ita judicat, & sicut se habet negotii natura, decernit. Obsequitur Legibus; non adversatur: examinat causæ merita, non mutat.* Et num. 39. *Audite, quid verus Judex loquatur:* Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. *Quasi bonus loquitur, quasi judex docet, quoniam, qui judicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere, quod Legum est. Constitue judicem de hoc sæculo: Numquid potest adversum imperiali formam veni*

tenbre Rescripti? Numquid potest normam Augustæ Definitionis excedere? Quanto magis divini formam debemus servare judicii? Christus dicit? Non quæro voluntatem meam; *hoc est hominis, quæ vel odio dirigitur, vel studio intenditur, vel gratia inflectitur, vel alicunde mendacio depravatur;* Omnis *enim* homo mendax; sed voluntatem, *inquit*, ejus qui misit me: *hoc est, divina cognitionis formam veni docere; ut in judicando magis cordi sit veritatis custodia, quam obedientia voluntatis.* Hinc *Nicolaus I.* Hincmaro Archiepiscopo Remensi respondens, ut refertur Canon. *Necesse*, causa 3. qu. 9. ait: *Necesse est secundum Sacrarum Scripturarum documenta, ac secundum justitiæ tramitem, & accusatum, & accusatorem simul adesse, & unam partem quantacumque & qualicumque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.* Merito itaque damnata est inter alias hæc Propositio ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo: *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere proferendæ Sententiæ in favorem unius prælitio.* Et *Innocentius XI.* hanc etiam inter alias damnavit: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Propositiones damnatæ.

REGULA XXVII.

Princeps, & Respublica minus probabilem opinionem licite sequi non possunt in bello indicendo.

An minus probabilem opinionem in bello indicendo sequi liceat?

In eo enim casu funguntur officio Judicis, ut vel publicam vindicent injuriam, vel bona recuperent in quæ jus obtendunt. Sicut ergo non licet Judici minus probabilem opinionem sequi in ferendo Judicio; ita nec Principi, aut Reipublicæ in bello indicendo, aggerendo. Præterea, cum in pari causa melior sit conditio possidentis, iniquum est, ut Rex, qui pacifice Regnum, aut Ditionem aliquam possidet, in paritate opinionum utrimque probabilium, & longe magis, si jus ipsius probabilioribus momentis nitatur, & sua possessione vi dejiciatur.

REGULA XXVIII.

In Sacramentorum Administratione sequi non licet minus probabilem opinionem relicta probabiliori.

De opinione minus probabili in Sacramentorum administratione non sequenda.

Propositio damnata.

Minister namque se exponeret periculo irritum faciendi Sacramentum. In re vero tanti momenti exponere se periculo errandi, gravissimum peccatum est. Non solum enim contra caritatem, sed maxime contra reverentiam in Sacramento debitam peccatur. Unde hæc Propositio ab *Inn. XI.* Pontifice Maximo inter alias damnata est: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hanc Sententiam probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

REGULA XXIX.

In Administratione Sacramenti Pœnitentiæ non licet Sacerdoti minus probabilem opinionem sequi relicta probabiliore, & tutiore. Nec tenetur judicium suum accomodare opinioni minus probabili Pœnitentis: Immo graviter peccaret, ac Ministerium suum proderet, si absolveret Pœnitentem minus probabilem opinionem sectantem, & in ea perseverantem.

Sess. 14. c. 6.

Sacerdos enim Pœnitentiæ Sacramentum administrans, Judex est, & Sacramentalis Absolutio est *Actus Judicialis*, ut a Trid. Synodo definitum est: & ad Sacerdotem Pœnitentiæ Ministrum spectat discernere inter lepram, & lepram, & Pœnitentem solvere, vel ligare, eique pro modo culpæ Pœnitentiam injungere. Judex autem probabiliorem opinionem sequi tenetur. At si accommodare se deberet Sententiæ Pœnitentis, & absolvere minus probabilem opinionem secutum, non fungeretur amplius Judicis officio: sed Pœnitens ipse conscientiæ suæ judex esset in Pœnitentiæ tribunali, & eligeret pro arbitrio suo Sententiam ligantem, vel solventem. Nam cum Sacerdos judicat esse restituendum, negotiationem dimittendam, votum adimplendum, occasionem peccati relinquendam, aut quid simile, statim objiciet Pœnitens, favere sibi opinionem probabilem, secundum quam id præstare minime tenetur. Unde in foro animæ Judex non errans sequi cogetur errantis Rei Judicium, non Reus judicium Sacerdotis, & in terra solvere, quem ligatum novit in cœlo. (quod absurdum est.) Et Pœnitens propterea erit Absolutione dignus, quia præter peccati maculam habet etiam erroris contumaciam, & peccandi propositum cum isto semper errore conjunctum. Quod rursus absurdum.

Præterea, Medicus opinionem minus probabilem, relicta probabiliore secutus, graviter peccat; nec se accommodare tuta conscientia potest opinioni infirmi volentis uti remedio probabilius nocituro, quam profuturo. Sacerdos porro Minister Pœnitentiæ Medicus est spiritualis animæ, secundum illud S. Gregorii Nazianzeni: *Divinæ Animarum Medicinæ nos Ministri, & adjutores sumus, quicumque aliis præsidemus.* Ipsi ergo non licet minus probabilem opinionem sequi; nec tenetur Judicium suum accommodare opinioni minus probabili Pœnitentis; cum salutis animæ major habenda sit cura, quam salutis corporis; adeoque magis sit reus, qui occidit animam indulgendo cupiditati peccatoris, quam qui occidit corpus indulgendo voluntati ægroti. Siquidem mors æterna longe magis timenda est, quam temporalis, dicente Christo Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

REGULA XXX.

Non licet Theologo consilium dare secundum opinionem, quæ ipsi minus probabilis, minusque tuta videtur.

An consilium dare liceat secundum opinionem minus probabilem,

Peccaret enim contra caritatem: & concupiscentiæ faveret contra Legem Dei. Unde sicut illicitum est in rebus temporalibus, ubi vel de vita tuenda, vel de bonis fortunæ agitur, præbere proximo consilium ipsius sanitati, aut rebus probabilius nocituram quam profuturum: ita, & multo magis illicitum est Theologo in rebus animæ, & salutis æternæ, consilium dare secundum opinionem minus probabilem, minusque tutam. A quo enim petitur consilium? A Theologo, ab Animarum Rectore, qui Christi hac in parte personam gerit: Quia *Magister noster unus est Christus.* Matt. 23. 10. Qui loqui cum hominibus debet, *Tamquam Deo per ipsum exhortante, & per exhortationem, quæ exhortatur & ipse a Deo*, ut loquitur S. Paulus. Cui unus esse scopus debet, ut homines a noxiis cupiditatibus abstrahat, *Ne confiteantur prioribus ignorantiæ suæ desideriis, sed vivant secundum eum, qui vocavit eos, Sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sint*, ut ait S. Petrus: unum lumen Verbum divinum, *Cui attendere debet tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*, ut ait idem Apostolus: una fiducia in Summo Pastore, cui rationem villicationis suæ redditurus est, nisi posset cum S. Paulo dicere: *Non subtersugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Qui petit consilium Christianus, *Jam non sibi vivens, sed ei, qui pro ipso mortuus est:* Qui *carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigere* debet: Qui Pastoris sui Christi vocem audire unice vult, & non alienis; qui unius Christi vestigiis debet insistere, & *sicut ille ambulavit, ita ambulare:* Qui unam cupitimre *Viam, arctam* illam scilicet, quæ *ducit ad vitam*: Qui *Non ea, quæ videntur contemplari* debet, *sed quæ non videntur.* Denique qui *imprudens* esse non vult, sed intelligere, *quæ sit voluntas Dei*, ut ei suam voluntatem accommodet. His vero Theologi, & hominis Christiani dotibus repugnat, ut ex opinione minus probabili, & minus tuta consilium detur; maxime cum agatur illius, qui consulit, æterna salus, quem pravum forte consilium in æternum exitium aget præcipitem: nec modo consulentis, sed ejus, qui consulitur, qui si alium in foveam impulerit, haud dubie in eamdem ipse corruet. Nec enim mendax esse potest Veritatis oraculum: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* 2. Cor. 5. 1. Petr. 1. Act. 20. 2. Cor. 5. Gal. 5. Joan. 20. 1. Joan. 2. Matth. 7. 2. Cor. 5.

Hanc Regulam confirmat præclara *S. Ambrosii* Sententia Epist. 72. ad Vercellensem Ecclesiam. *Hoc est*, inquit, *consilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt, suadere, quæ tutiora, demonstrare.*

Ex his patet, quam damnandæ sint illæ Propositiones; a Clero etiam Galliano reprobatæ, & notatæ: *Licet consultori consilium dare secundum eam opinionem, quæ ipsi minus probabilis, minusque tuta videatur.* Propositiones damnandæ.

Si quis sibi vult consuli secundum eam opinionem, quæ sit saventissima, peccat, qui non secundum eam consulit. Potest etiam ad libitum consulere; modo secundum unam, modo secundum aliam Sententiam, dummodo caveat; ne incurrat levitatis notam.

Qui illas probant, & ad praxim revocant, prudentiam carnis sequuntur.

Quæ postrema Propositio iis tantum probari potest, ab iisque ad praxim revocari, qui sapientiam carnis, non sapientiam Christi sectantur, ut docet Apost. 2. ad Cor. 1. *Numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito: ut sit apud me Est, & Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est, & Non; Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Silvanum, & Timotheum, non fuit Est, & Non, sed est in illo fuit.*

At plerisque secus videtur, dicet aliquis; *Quid vero mea interest, qui Christi veritatem magis curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit: hoc miserum, vel beatum reddiderit. At quid aliis videtur; nihil ad nos, quemadmodum neque alienum somnium:*) inquit *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 27.)

REGULA XXXI.

Non licet varios adire Doctores, seu Casuum Arbitros intentione, ut ex eorum opinionibus ea eligatur, non quæ probabilior, & tutior, sed quæ commodior visa fuerit.

De probabilium opinionum usu.

Quid enim aliud est tenebrosus ille oculus cordis, qui totum corpus tenebrosum facit, quam illa intentio animi non veritatem, & voluntatem Dei inquirentis, sed cupi-

cupiditatis suæ secutitatem? Hujus exemplum infigne in *Balaam* exhibet Scriptura Sacra, *Num.* 22. *Balac* Rex Moabitarum miserat viros, qui *Balaam* ad maledicendum Populo Dei conducerent. Monetur ille divinitus, ne impio Regi obtemperet: Oratores redeunt re infecta. At Rex, qui magni referre censebat, ut veniret *Balaam*, ac Populo Dei imprecaretur, plures mittit, & cum amplioribus muneribus. Quipus id responsi dedit Balaam: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus loquar, vel minus loquar*. Recta videri poterat *Balaami* intentio, si verborum ipsius superficies consideretur, cum se nulla re ab officio dimoveri posse significet. Et tamen, quia occulta quadam avaritia Dei mandatum ad suam cupiditatem inflectere voluit, iteratis ad eum precibus: *Ibi se vitium cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum noluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam, deviatamque muneribus, permisit eum ire, hoc ipso confundens illius dementiam, quod prohibitionem Dei transgredi sine non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eamdem cupiditatem timore supprimeret. Cur post illam permissionem Dominum iterum non consuluit, & post illam prohibitionem iterum consulendum putavit; nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur?* Verba sunt *S. Aug.* quæst. 48. *in Numeros*. Qui novos subinde Casuum Arbitros adeunt, donec aliquem inveniant, qui in ipsis ad libitum respondeat, & cujus doctrina illorum faveat cupiditati, in viam Balaam abeunt, & in errorem non minus inducuntur, quam ille. *Pluit enim, & pluet semper Deus super peccatores laqueos*, ut ait Propheta: & *Lege infatigabili spargit funiculos cæcitates super illicitas cupiditates* (ait *S. Aug.* De hujusfindi hominibus veritatem, & legem Dei non ex quirentibus, sed fuæ fomenta cupiditatis, & excusationes in peccatis, jure merito dici potest, quod *Isaias* de Judæis ait cap. 30. *Populus ad irascendum provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra S. Israel*. Hi conservant sibi Magistros prurientes auribus, & a veritate auditum avertunt, ut loquitur Apostolus.

(Plures Doctores adire, plures Casuum arbitros consulere laudabile fuerit, si id fiat studio cognoscendæ veritatis, & vitandi errores, exquirendæque Sententiæ, quæ Dei ac Voluntati consentanea sit. Ut enim ait *Lactantius* Lib 3. *Institutionum*, cap. 7. *Quoniam in disponendo vitæ statu formandisque moribus, periculo majori peccatur; majorem diligentiam adhiberi necesse est, ut sciamus, quomodo oporteat nos vivere. Illic enim potest venia concedi; quia sive aliquid nicunt, nihil profunt; sive delirant, nihil nocent: hic vero, nullus diffidio, nullus est errori locus. Omnes unum sentire oportet, ipsamque Philosophiam uno quasi ore præcipere, quia si quid fuerit erratum, vita omnis everitur*. Studiis omnibus enitendum est, ut veritatem Mandatorum Dei cognoscamus, quia Cives sumus, aut esse debemus illius Civitatis, *cujus Rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas*; (inquit *S. Aug.* Epist. 138. alias 5. ad Marcellinum.) Quamobrem sollicite *Excudandum* esse monet idem S. Doctor Lib. 22. *De Civ. Dei*, cap. 23. *Ne opinio verisimilis fallat; ne decipiat sermo versutus, ne se tenebra alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur, ne ab his, quæ agenda sunt, metus revocet, ne in ea, quæ agenda non sunt, cupido præcipiat*.

Ps. 10. 7. Lib. 3. Constit. c. 20.

REGULA XXXII.

Peccatum ex genere veniale, fieri potest mortale ex affectu, & dispositione peccantis, & similiter mortale ex genere interdum veniale esse potest.

Quomodo peccatum ex genere suo veniale possit fieri mortale, vel mortale veniale.

Veniale peccatum tripliciter dici notat *S. Th.* 1. 2. q. 88. art. 2. Primo dicitur veniale ab eventu, quia veniam est consecutum: quo sensu *S. Ambr.* Lib. *de Paradiso*, c. 14. ait: *Venialis culpa, quam sequitur professio delictorum*. Alio modo dicitur veniale ex causa, quia non habet in se unde veniam non consequatur, vel ex toto, vel ex parte, ex toto, cum non tollit ordinem ad ultimum finem; ex parte cum aliquid in se habet minuens culpam, ut cum fit ex infirmitate, vel ignorantia. Tertio modo dicitur veniale ex genere, idest, ex objecto. *Cum enim voluntas fertur in aliquid, quod secundum se repugnat caritati, per quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum ex suo objecto habet, quod sit mortale: unde est mortale ex genere, sive sit contra dilectionem Dei, sicut blasphemia, perjurium, & hujusmodi; sive contra dilectionem proximi, sicut homicidium, adulterium, & similia. Unde hujusmodi sunt peccata mortalia ex suo genere. Quandoque vero voluntas peccantis fertur in id, quod in se continet quamdam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi, sicut verbum otiosum, risus superfluus, & alia hujusmodi, & talia sunt peccata venialia ex suo genere*. Sed quia morales actus non solum ex objecto, sed etiam ex dispositione agentis, ex fine, & circumstantiis, boni, vel mali sunt, & censentur, *Contingit quandoque id, quod est peccatum veniale ex genere, ratione sui objecti, esse mortale ex parte agentis, vel quia in eo finem ultimum constituit, vel quia ordinat ipsum ad aliquid, quod est peccatum mortale ex genere, puta, cum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum; similiter etiam ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum ex suo genere mortale, sit veniale, propter hoc quod actus est imperfectus, idesti, non deliberatus ratione*.

Hinc tris peccatorum venialium genera vulgo distinguuntur. Quædam venialia sunt ex genere, illa scilicet, quæ secundum se spectata habent pro objecto rem levem, ut verbum otiosum, mendacium jocosum, risus solutior.

Tria venialium peccatorum genera.

Alia sunt venialia ex levitate materiæ, quæ scilicet mortalia revera essent, nisi in re aliqua parvi momenti committerentur, ut furtum rei exigui pretii, detractio levis, & similia. Nullum tamen in materia infidelitatis, aut impudicitiæ leve peccatum est, seu veniale, si ratione plene deliberata committatur.

Alia sunt venialia ex imperfectione actus, ut motus, vel actus repentini circa objectum mortaliter malum; quibus vel in se, vel in sus caussa præcedente, voluntas aliquo modo consentit, sed imperfecte, sive propter considerationem, & animadversionem rationis non satis plenam, sive propter imperfectum libertatis usum actualem, sicut semidormientibus, seu non plene a somno excitatis accidit, ac interdum etiam vigilantibus, dum ex improviso moventur ad infidelitatem, ad odium, ad invidiam, ad libidinem, aut ad alia peccata mortalia, quibus deliberata ratione non consentiunt. *Primus enim motus sensualitatis non habet, quod sit peccatum, nisi in quantum judicio rationis retrimi potest* (inquit S. Th. 2. 2. q. 154. art. 5.) *& ideo sublato judicio rationis, tollitur ratio peccati*. Porro, ut idem docet qu. 7. *de Malo*, art. 6. ad 6. *Quando motus illicitus est in sensualitate, respicitur se potest ad ipsum habere ratio. Uno modo sicut resistens, & tunc nullum est peccatum, sed est meritum corona. Aliquando autem se habet, ut imperans; puta, cum ex proposito motum concupiscentia illicita excitat: tunc si sit illicitum in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale. Aliquando autem se habet, ut neque prohibens, neque imperans, sed consentiens: & tunc est peccatum veniale*: si tamen non sit probabile periculum consensus, nec illud ratio advertat. Potest itaque id, quod est *ex genere mortale*, esse veniale *propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus mortalis, cum non sit deliberatus, sed subitus* (inquit idem S. Th. 1. 2. q. 88. art. 6.)

In Quæst. Disputatis.

Cum ergo aliquis, ut primum advertit pravum aliquem motum, vel appetitum, statim cum repellere conatur, statim imbrobat, execratur, aut se ita sentit affectum, ut mori malleat quam peccato consentire, vel illud opere perpetrare, indicium est ipsum deliberata omnino ratione hujusmodi motui, vel actui non consensisse; sicut & cum dubitat, an turpem delectationem dormiens passus sit, an vigilans. Verum cum attendit ratio, nec positive resistit; sed quasi negative se habet, consentire censenda est, docet *S. Th. q. 15. de Veritate*, art. 4. ad 10. *Antequam*, inquit, *ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat. Sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, & de nocumento consequente, utpote cum percipit homo se tot aliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, nisi expresse resistat, videtur consentire*.

REGULA XXXIII.

Peccata, quæ in Scriptura Sacra dicuntur execranda, Deo exosa, excludere a Regno Dei, esse digna morte, aut quibus dicitur VÆ, mortalia sunt: quæ vero verbis mitioribus notantur, vel reprehenduntur, sunt venialia.

Quomodo mortalia, & venialia peccata dignosci possint.

Prioris generis habemus exempla, Levit. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, moriatur*. Prov. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordias*. Is. 5. *Va, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci... Va, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis... Va, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: Ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: Ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Va, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Va qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi auferetis ab eo*. Ezech. 18. de homine contristante egenum, & pauperem, uxorem proximi sui polluente, aut bona rapiente, pignus non reddente, ad idols oculos suos levante, abominationem faciente, ad usuram dante, & amplius accipiente, idest, aliquid ultra sortem ratione mutui exigente, dicit Deus: *Cum universa hæc detestanda fecerit, morte moritur*.

Ad

Ad Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum: in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis... Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu fœmine, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

1. Ad Cor. 6. *An nescitis, quia iniqui Regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt*.

Ad Gal. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: Quoniam, qui talia agunt, Regum Dei non consequentur*.

Ad Ephes. 5. *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei*.

Apocal. 21. *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda*.

Posteriorisgeneris exempla habemus Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*. Matth. 12. *Omnes verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii*. 1. ad Cor. 7. *Revertimini in idipsum, ne tentent vos Satanas propter intontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Ex quibus locis constat, multiloquium, verbum otiosum, accessum ad propriam uxorem sola delectationis causa, non vero intentione suscipiendæ prolis, esse quidem peccata, sed leviora, & venialia; quonism Scriptura Sacra de illis mitius loquitur, quam de mortalibus.

REGULA XXXIV.

Peccata mortalia censenda sunt, quæ vel a SS. Patribus, vel a Theologis doctrina, & pietate insignibus, unanimi consensu, mortalia censentur, & asseruntur: venialia vero, quæ ab eisdem venialium numero, & loco habentur.

Quomodo mortalia, & venialia peccata dignosci possint.

Tantum enim pondus est auctoritatis Patrum in aliquo dogmate consentientium, sive illud fidem, sive morum disciplinam spectet, ut qui ab illis dissenserit, erroris profanæque novitatis convincatur. Testes enim sunt Traditionis, quæ verbum Dei est non scriptum, ac proinde Regula morum altera post Scripturam Sacram. Patribus ergo *Hæc lege credendum est* (inquit *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio) *ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemque sensu, manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur*. Atque in quæstionibus moralibus, non minus quam in Fidei controversis, operam dare debet Theologus, *Ut collatas inter se Majorum consultet, interrogetque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus, & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione, & fide permanentes, Magistri probabiles extiterunt: & quicquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit; id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum* (ait idem *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio.)

Theologorum vero omnium, aut certe plurimorum, sanctiorum, & doctiorum consensus in alicujus assertione dogmatis, etsi longe minoris ponderis sit, quam auctoritas Patrum aliquid conspirante magisterio asserentium, tanti nihilominus est momenti, ut qui ab iis dissenserit, notam temeritatis non effugiat. Unde *Clemens V.* in Concilio Viennensi, ut liabetur in Clementina *de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, opinionem *dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologia magis consonam, & concordem, tamquam probabiliorem, Sacro approbante Concilio, duxit eligendam*. Quamobrem mortale peccatum, aut veniale dumtaxat nemo esse dubitet, quod Theologi omnes, aut certe plurimi, sanctiores, atque doctiores inter peccata mortalia, aut venialia numerant. Sic violationem Jejunii Ecclesiastici, & omissionem Sacri Dominicis, ac Festis diebus peccata esse mortalia; diebus autem jejunii comestionis horam paullulum anticipare, idest, paullo ante meridiem comedere, & diebus Festis modicam partem Sacri omittere, peccata venialia censent Theologi, quorum in sententia est acquiescendum.

REGULA XXXV.

Naturalis etiam ratio plurimum conducit ad judicandum, quæ mortalia, quæ venialia peccata sint.

De mortalibus, & venialibus peccatis dignoscendis.

Hoc enim mentis lumen est a Deo super nos signatum, quo in agendis non minus quam in cognoscendis rebus dirigimur; sed cum obnoxia sit errori, nisi divino lumine, & adjutorio illustretur ipsa, & dirigatur, certas Regulas sequi debet a Christianæ Moralis Interpretibus, docente intus Veritate, traditas, quibus cognoscitur, quæ mortalia tantum, quæ venialia peccata sint. Attendendum est in primis, quæ peccata graviter lædant caritatem Dei, vel proximi, quæ leviter solum: illa quippe mortalia, hæc venialia peccata sunt. *Omnes enim offendimus, sed unusgravius, alius levius: quanto quisque gravius leviusve peccaverit, tanto in peccata committendo major, quanto in diligendo Deo, & proximo minor: & rursus tanto minor in peccati perpetratione, quanto major in Dei, & proximi dilectione. Tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior caritatis*; (inquit *S. August.* Ep. 167. alias 29.) Deinde materiæ quantitas expendenda, sit ne magna, vel parva, gravioris, aut minoris momenti. Tertio considerandum, an peccatum ex genere suo mortale sit, aut veniale. Quarto ponderanda verba legis, vel præcepti, an severe præcipiat, an gravem pœnam statuat in transgressores; an Legislatoris, vel præcipientis intentio fuerit in hoc, vel illo casu graviter obligare. Sic enim grave peccatum esse judicandum est, dicere proximo *Fatue*, animo contemnendi, & conviciandi; quia Christus *Reum gehenna ignis* pronuntiavit, *qui dixerit fratri suo, Fatue*. Sic peccata mortalia judicantur violationes Præceptorum Ecclesiasticorum, quibus Excommunicationis, aut alterius Censuræ pœna adjuncta est. Examinandum est quinto, an peccatum sit commissum deliberate, vel indeliberate: cum enim *Adeo peccatum voluntarium sit malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, & hoc ita manifestum sit, *ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat; aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi*. (inquit *S. Aug.* Lib. *de Vera Religione*, c. 14.) Et Lib. 3. *de Libero Arbitrio*, cap. 18. *Quæcumque*, inquit, *ista caussa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei cediturr: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: caveri igitur potest*. Quod igitur plena deliberatione non committitur peccatum, quamvis ex genere suo mortale sit, veniale tantum est: nullum vero peccatum, cum nulla est omnino deliberatio, nullus voluntatis consensus, aut negligentia.

REGULA XXXVI.

Quædam sunt peccata, de quibus accurate, & certo judicari non potest, an mortalia, an venialia tantum peccata sint. Unde prudens Theologus, conscientiarum Moderator judicium de his suum suspendet, nec audacter dicit: Hoc mortale, illud veniale tantum peccatum est, nisi Scripturæ Sacræ, vel Sanctorum, aut Ecclesiæ Auctoritate fulciatur.

De mortalibus, & venialibus peccatis dignoscendis.

Nam, ut scribit *S. Aug.* Enchiridii cap. 78. *Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quadam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est, quod venerabilis Paulus conjugibus ait*: Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum ad idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter continentiam vestram. *Quod putari posset non esse peccatum, miscere scilicet conjugi non filiorum procreandorum caussa, quod bonum est nuptiale; sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii, sive cujuscumque alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentare Satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset*, Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. *Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritate fateatur? Talo quidam est, ubi dicit*, Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? *Et paullo post*: Sæcularis igitur judicia si habueritis, *inquit*, eos, qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate. Ad reverentiam vobis dico: sic non est inter vos quisquam Sapiens, qui possit inter fratrem suum judicare: sed frater cum fratre judicatur, & hoc apud Infideles. *Nam & hic posset putari judicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari; nisi adjungeret*, Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. *Et ne quisquam*

1. Cor. 6.

hoc

hoc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet a se Judicem sententia removeri, continuo talibus cogitationibus, vel excusationibus occurrit, atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fundamini? *Ut ad illud redatur, quod Dominus ait,* Si quis voluerit tunicam tuam tollere; & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium: *Et alio loco:* Qui abstulerit, *inquit,* tua, noli repetere. *Prohibuit itaque suos de secularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium: ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum. Tamen cum sinit in Ecclesia talia judicia fiori inter fratres fratribus judicantibus; extra Ecclesiam vero terribiliter vetat; manifestum est etiam hic, quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter hoc, atque hujusmodi peccata, & alia, licet iis minora, quæ fiunt verborum, & cogitationum offensionibus, Apostolo Jacobo confitente, ac dicente,* In multis enim offendimus omnes, *oportet, ut quotidie crebroque oremus Dominum, atque dicamus:* Dimitte nobis debita nostra. *Sunt autem quædam, quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstraretur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo,* Raca, *reum Gehennæ putaret, nisi Veritas diceret?... Aut quis æstimaret, quam magnum peccatum sit, dies observare, & menses, & annos, & tempora, sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta, vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait,* Timeo vos, *ne forte sine caussa laboraverim in vobis?*

Matth. 5.

Luc. 6.

Jacob. 5.

Et Lib. 21. *de Civ. Dei*, cap. 27. *Quæ sunt ipsa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum desinire. Ego certe usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium profitendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. Quoniam si scirenter, quæ, vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, ne profectu melioris vitæ absumptis intercessio sit inquirenda, & sperandæ justorum, eis securæ se obvolverent humana segnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, sed tantummodo curaret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammona iniquitatis eleemosynarum largitione fecisset.* Et Lib. 2. *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 6. *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes: Hoc grave est; & illud leve. Sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sanctis, & in illis appendamus, immo apponsa a Domino cognoscamus.*

Docet denique *S. Thomas* Quodlibeto 9. art. 15. *Quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur: Quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Error vero, quo creditur esse mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est.*

Hinc Vaurense Concilium, Anno 1368. ait: *Neque enim Confessor debet esse promptus ad facile judicandum de aliquo, quod sit mortale peccatum, nisi sit in dictis Scripturæ, vel SS. Patrum expressum.*

REGULA XXXVII.

In Judicio de mortalibus, & venialibus peccatis ferendo, non est habenda ratio consuetudinis, sed Legis Dei, adversus quam nihil præscribere potest; vel Legum Ecclesiasticarum, quæ non sunt diuturna, & præscriptæ consuetudine, Ecclesiaque tacito quodam consensu abrogatæ.

De mortalibus, & venialibus peccatis dignoscendis.

Nam *peccata quædam*, (inquit *S. Aug.* cap. 80. Enchiridii) *quamvis magna, & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur; usque adeo, ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda, ac diffamanda videantur, quando, sicut scriptum est,* Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.... *Ita multa mala in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem Laicum non audeamus, sed nec Clericum degradare. Unde cum exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus,* Timeo vos ne forte sine caussa laboraverim in vobis, *exclamare compulsus sum:* Væ peccatis *hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se faciant Regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla. Etenim facere cogimur. Atque utinam, o Domine, non omnia, quæ non permittere jus prohibere, faciamus.*

Psal. 10. 4.

Et Lib. 3. *Contra Epistolam Parmeniani*, c. 2. inquit, *An forte, parva sunt ista crimina, & parvi æstimanda? Solent enim illi etiam hoc dicere, pensantes ea non in statera æqua divinarum Scripturarum, sed in statera dolosa consuetudinum suarum. Quidquid enim fecerit, & iniquitatis inebriat multitudinem, omittit examinis veritatem. Sed ideo sunt tamquam sincerissimum speculum proposita hominibus oracula cælestium Paginarum, ut ibi quisque videat, quodlibet peccatum quantum sit, quod forte magnum est, & male viventium cæco more contemnitur.*

Confirmatur ex canone 7. Concilii Lateranensis 3. sub Alex. III. *Cum, inquit, in Ecclesia corpore omnia debeant ex caritate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi: Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum vendalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in Sede, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam, necnon pro Sepulturis, & Exequiis Mortuorum, & Benedictionibus Nubentium, seu aliis Sacramentis, aliquid exigatur: & ille, qui indiget, non possit ipsa percipere, nisi manum implere curaverit largitoris. Putant plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur. Non satis, quia cupiditate excæcati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam.*

Denique; ut ait *S. Bonaventura* in Opusculo *de processu Religionis* cap. 28. *cum Deo disputare velle, stultum est, & quasi velle convincere eum, ut non debeat judicare hoc esse peccatum mortale, quod nostra opinio non vult pro mortali habere. Sua existimatio est Regula justitiæ infallibilis, non nostra angulosa opinio, quam nostram conscientiam appellamus. Solis radius numquam facit angulum, semper directe in opposita sibi ferit, sive in nobis appareat, sive aliter existimemus.*

REGULA XXXVIII.

Peccatum, quod ex genere suo veniale est, potest fieri mortale, in quantum constituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum, sicut ad finem.

Ita docet *S. Thomas*, prima secundæ, qu. 88. art. 4.

REGULA XXXIX.

Nulla circumstantia peccatum ex genere suo veniale ad mortalis peccati genus transferre potest, si maneat in circumstantiarum ordine.

Quomodo peccatum ex genere veniale, ad genus peccati mortalis transferri possit.

Ita docet *S. Th.* 1. 2. q. 88. art. 5. Cum enim circumstantia sit accidens actus humani, ipsum ad aliud genus trahere non potest, nisi circumstantiæ rationem amittat, alteriusque generis addat deformitatem. Sicut aliquis accedit ad non suum, est actus deformis deformitate oppositæ castitati: Sed si accedat ad non suum, quæ est alterius uxor, additur deformitas opposita justitiæ, contra quam est, ut aliquis usurpet rem alterius; qua ratione hujusmodi circumstantia constituit novam speciem peccati, quæ dicitur adulterium. Peccati porro venialis deformitas posita est in perversione ordinis mediorum, seu in nimia adhæsione ad res, quibus utendum est, ita tamen, ut finis ultimo, scilicet Deo, numquam præponantur: Mortalis autem peccati perversitas posita est in eversione ordinis ad ipsum ultimum finem: seu in fruitione rerum, quibus utendum est, quasi finis ultimus essent. Quamobrem circumstantia ex veniali peccato facere mortale non potest, quamdiu circumstantia manet: sed solum cum actum moralem transfert in aliam speciem, & alterius generis deformitatem afferens, fit quodammodo specifica differentia moralis actus.

REGULA XL.

Diuturnitas non est circumstantia trahens actum moralem ad aliud genus peccati, similiter nec frequentia, vel assiduitas, nisi ex accidenti, & ratione alicujus deformitatis adventitiæ.

Non enim, (inquit *S. Thomas*) actus acquirit novam speciem ex hoc, quod multiplicantur, vel protelatur, nisi forte in actu protelato, vel multiplicato superveniat aliquid, quod variet speciem, ut *Inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujusmodi.*

Nec aliud colligi potest ex *S. Cæsario*, Serm. 37. ubi peccata mortalia recensens ait: *Et si longo tempore teneatur iracundia, & ebrietas si assidua sit, in eorum numero computatur.* Cum enim ira sit motus animi ad nocendum proximo, *Si sit tale nocumentum, in quod tendit motus iræ, quod ex genere suo sit peccatum mortale, sicut homicidium, vel furtum; talis ira ex genere suo est peccatum mortale: sed quod sit peccatum veniale, habet ex imperfectione actus, in quantum est motus subitus sensualitatis. Si vero sit diuturna, redit ad naturam sui generis per consensum rationis. Si vero nocumentum, in quod tendit motus iræ, esset veniale ex genere suo, puta, cum aliquis in hoc irascitur contra aliquem, quod vult ei dicere aliquid verbum leve, & jocosum, quod modicum ipsum contristet, non erit ira peccatum mortale, quantumcumque sit diuturna, nisi forte per accidens, si ex hoc grave scandalum oriatur, vel propter aliquid hujusmodi.*

Quod ebrietatem spectat, mortale etiam ex genere suo peccatum est. *Quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam in Deum ordinatur,*

ratione, & multa peccata occurrentia vitat, ex sola voluptate vini, expresse contrariatur virtuti. Sed quod sit peccatum veniale, contingit propter ignorantiam quamdam, vel infirmitatem, puta, cum homo nescit virtutem vini, aut propriam debilitatem, unde non putat se inebriari: Tunc enim non imputatur ebrietas ad peccatum, sed solum superabundantia potus. Sed quando frequenter inebriatur, non potest per hanc ignorantiam excusari, quia videatur voluntas ejus elegere magis pati ebrietatem, quam abstinere a vino superfluo: Unde redit peccatum ad suam naturam. Sic respondet *S. Th.* quæst. & art. supra laudatis.

REGULA XLI.

Quæcumque peccata contra diversa Præcepta committuntur, non ideo diversa sunt genera.

Unde oriatur diversitas peccatorum?

Plura namque præcepta, vel idem sæpius repetitum, unam eamdemque rem interdum præcipiunt, aut prohibent sub una, & eadem ratione. Sic furtum unum genere peccatum est, quamvis lege naturali, & positiva, tam divina, quam humana sit prohibitum. Furtum rursus, & voluntas furandi, adulterium, & voluntas illud committendi, non sunt peccata diversi generis: quamvis hæc Decalogi præcepta diversa sint, *Non furtum facies*; & *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.* Diversa etiam præcepta Clericos Beneficia Ecclesiastica possidentes, & alios in Sacro aliquo Ordine constitutos ad Horarum Canonicarum recitationem obligant: nec tamen Sacerdos Beneficiarius peccata specie distincta committere censetur, si eas omittat. Sic qui violat Jejunium Sabbato quatuor Temporum coincidente cum Vigilia S. Matthæi, aut cum aliquo die Quadragesimali, non committit diversa peccata; quia licet diversis præceptis ad jejunandum ea die obligetur, illa tamen præcepta rem eamdem jubent sub eadem ratione, & ad eamdem virtutem pertinent. Idem esto judicium de illo, qui Sacrum non audit die Dominica, in quam alia Sollemnitas cadit: Itemque de eo, qui frangit votum eadem de re repetitum.

REGULA XLII.

Quandoplura præcepta specialem, ac distinctam habent cum ratione convenientiam, ita ut actum, qui præcipitur, ad virtutem specie diversam transferant, peccata, quæ præceptis illis opponuntur, diversa sunt specie: Aut certe si sit unicum, alterius speciei malitiam continet.

Unde oriatur diversitas peccatorum?

Sic adulterium a Viro Religioso commissum ad tres species pertinet, seu triplicis peccati malitiam includit; luxuriæ scilicet, quia mulierem cognoscit, quæ non est sua; injustitiæ, quia alienam; & sacrilegii, quia peccat contra votum, quo Deo se consecravit, ac violatæ Religionis reus est. Ita furtum a Monacho commissum duplicis speciei malitiam habet; unam injustitiæ, quia rem alienam accipit, ac retinet invito Domino; alteram violationis voti, quia contra paupertatem peccat, quam se perpetuo servaturum sollemni voto promisit. Sic homicidium, aut percussio Clerici duplicis generis deformitatem habet, injustitiæ nimirum, quia gravis injuria est proximo illata; & Religionis violatæ, cum persona Deo sacra violetur. Quamobrem diversas illas deformitates in Sacramentali Confessione explicare omnino necesse est.

REGULA XLIII.

In iis, quæ non sunt mala, nisi quia prohibita lege aliqua positiva, peccata, quæ contra diversa præcepta committuntur, specie diversa sunt.

Diversæ ejusdem operis deformitates in Confessione explicandæ.

Ratio enim cur decimas non solvere sit peccatum injustitiæ, cur intemperantiæ peccatum sit vesci carnibus diebus Jejunii, cur violenta sanguinis effusio in Ecclesia sit species sacrilegii, petenda est ex præceptis positivis, quorum unum jubet solvi decimas; aliud abstinentiam a carnibus: alterum reverentiam erga locum sacrum. Hinc Monachus, qui speciale præceptum Superioris sui violaverit, duplicis peccati reus est: non solum enim contra votum peccavit, sed etiam contra virtutem singularem, ad quam pertinet præceptum Superioris. Idem esto judicium de illo, qui non jejunat stata per Ecclesiæ Constitutionem die, ac insuper a Confessario indicta: quia primum præceptum ad virtutem temperantiæ, alterum ad Pœnitentiæ virtutem pertinet.

REGULA XLIV.

Distincta sunt numero peccata, quæ circa objecta numero distincta versantur: nisi objecta illa se habeant ad modum unius, ita scilicet, ut unum sit pars alterius, aut omnia unum aliquod totum, ut partes constituant.

Quando in uno actu plura sint

Si quis, exempli gratia, uno eodemque actu odio habeat, vel occidere velit tres homines; si una voluntate velit non audire Sacrum tribus Dominicis, aut Festis diebus; vel tribus diebus Jejunio ex Ecclesiæ instituto dicatis non jejunare, trium peccatorum reus est, aut unius certe malitia triplici deformis. Similiter, qui uno ictu plures percutit, aut convitiis appetit, qui una calumnia, vel maledicto, plurium honori, vel famæ detrahit, tot reus peccatorum est, quot sunt personæ læsæ. Cum enim peccata specie distinguantur ex objectis specie distinctis; numero etiam distingui ex objectis numero distinctis consequens est. Quamobrem numerum personarum, quas aliquis percussit, aut probris, contumeliis, calumniis, maledictis affecit, exprimere in Confessione tenetur. Similiter, qui mortem alicui, & toti ejus familiæ inferre meditatur, aut molitur, vel conceptum scelus opere perpetrat; tot reus homicidiorum est, quot sunt homines in ista familia. Quamvis enim Juris fictione una familia censeatur una persona, revera tamen plures personas complectitur. Unde sicut diversa specie peccata committeret, qui familiam unam extinguere vellet, ad quam pertinerent pater ejus & mater, & aliqui homines Laici, alii Clerici: (Parricidii enim reus ellet propter parentes; homicidii simplicis propter Laicos; sacrilegii propter Clericos occisos:) Ita tot numero peccatorum reus est, quot homines occidit, vel occidere voluit; percussit, aut percutere decrevit, sive conatus est; quot hominibus contumelias, calumnias, maledicta impegit, vel irrogavit. Quia vero multæ partes domum unam constituunt, oves multæ gregem unum, variæ species, aut partes pecuniæ summam unam, variæ mensuræ tritici acervum unum, multi Libri Bibliothecam unam: Combustio domus unum numero peccatum est, deprædatio, seu rapina gregis unum similiter peccatum; idemque censendum de furto unius summæ pecuniæ, aut unius Bibliothecæ: Neque numerum partium domus, ovium, singulas tritici mensuras, species singulas pecuniæ, numerum Librorum, in Confessione exprimere necesse est, sed solum damni illati quantitatem, pecuniæ summam, gregis, tritici, vel Bibliothecæ pretium.

numero peccata?

REGULA XLV.

Voluntas peccati cum actu exteriori conjuncta unum numero peccatum est: Voluntas autem ab actu exteriori separata distinctum numero peccatum.

Quando voluntas, & opus sint unum numero peccatum, vel distincta peccata?

Cum enim nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium, & malitia ex actu interiori voluntatis in actum externum refundatur, actus interior, & exterior unum numero peccatum censendi sunt, cum simul sunt conjuncti, ut si quis occasione data furari velit, & furetur. Si vero voluntatis actus ab opere externo sejunctus sit, ut si quis mœchari volens, non statim mœchetur occasione deficiente, sed opportunitate data die sequenti libidinem expleat, duplex numero peccatum est. *Quia voluntatis actus multiplicatur: Quando enim actum expleat exteriorem, etiam actum voluntatis iterat: & ideo oportet, quod sint duo peccata, non propter diversitatem actus interioris, & exterioris, sed propter diversitatem duorum actuum interiorum.* Ita docet *S. Th.*, in 2. Sentent. dist. 42. q. 1. art. 1.

Quando voluntatis actus censendus sit unus moraliter?

Unus autem moraliter voluntatis actus censetur, quando non est moraliter interruptus. Unde si quis priorem furandi, vel fornicandi voluntatem retractavit, vel a priori moditione distractus, & aversus, ad alia cogitanda, vel agenda se convertit, & nova deliberatione, etiam post modicum tempus, ad idem objectum illicite prosequendum revertitur, distinctum numero peccatum est; ver. gr. si quis visa fœmina morose delectetur, eamque delectationem sponte deserens, & ad alia intendens animum, eadem vel altera mox occurrente in peccati cogitatione rursus delectetur, duplex peccatum est. Item si inter unum, & alterum actum tantum temporis intercessit, aut impedimentum tale, ut nullam invicem connexionem, vel ordinem habere Prudentis arbitrio censeantur, duplex numero peccatum est, sive cessatio a priori actu voluntaria fuerit, sive non. Ita si quis morosam delectationem, vel odium fraternum in animo gerens, somno corripiatur; a somno vero excitatus eamdem delectationem, vel odium animo concipiat, duo morosæ delectationis, vel odii peccata committit.

Sed quid de illo censendum, qui mane ad occidendum inimicum, vel ad fornicandum profectus, in itinere sæpius eam voluntatem iterat, nunc de peccato, quod animo concepit, nunc de aliis rebus cogitans, an plura peccata numero distincta committit? Minime; Quia prima ejus voluntas moraliter interrupta non fuit, sed virtute perseveravit in actione itinerandi eo fine suscepta.

Similiter qui vult furari, & ea voluntate concepta, statim iter conficit, scalam admovet, eam conscendit, domum ingreditur, aream scrutatur, quod invenit furatur, unum numero peccatum censetur commisisse, etiam si voluntatem furandi in tota illa actionum serie sæpius iteraverit; quia volitiones illæ singulæ unus moraliter actus existimantur, cum prima furti voluntas non sit moraliter interrupta, sed in omnibus illis actionibus virtute perseveret.

Sic etiam plures actus ex ejusdem peccati voluntate profecti,